



Aug 25/81

Today: 7/91 ST

Francisci
P E T R A R C H A E
Epistolae Selectae

LI
P493e J

Francisci

P E T R A R C H A E

Epistolae Selectae

EDIDIT

A. F. JOHNSON, B.A.



193217
29.12.24

OXFORD
AT THE CLARENDON PRESS

1923



Oxford University Press
London Edinburgh Glasgow Copenhagen
New York Toronto Melbourne Cape Town
Bombay Calcutta Madras Shanghai
Humphrey Milford Publisher to the UNIVERSITY

Printed in England

PREFACE

PETRARCH has been called the first modern man, and he is the first man since the days of the Roman Empire who has left us a detailed account of his own life and times. His letters give us a complete picture of his career, and, in spite of the fact that he wrote for publication, the self-revelation is sufficiently complete to make us feel that we know him in a way that we know no other man of his age. Yet, perhaps because of the wealth of detail, very different conclusions have been drawn as to the kind of man Petrarch was. An enormous literature has grown up on the subject, and even to-day critics are by no means agreed in their estimate of him.

The chief evidence for understanding the man Petrarch is contained in his letters, and the present selection has been made with the intention of giving an account of his life in his own words and of introducing descriptions of historical events of which he was a spectator. It is hoped that the selection is wide enough to allow the reader to form his own opinion as to Petrarch's character. Shorter letters are generally given in their entirety. The omissions in longer letters often consist of illustrations from the Classics and the Latin Fathers, which to us appear a pedantic display of learning. In this respect it is unfair to judge Petrarch by modern standards; such passages at least serve to reveal the width and thoroughness of his scholarship in an age when there were no indexes and few books of reference. A brief summary of passages omitted has been incorporated in the text.

Down to the year 1601 there were at least twelve printed editions of the letters. From that date none, until Giuseppe Fracassetti in 1859-62 published at Florence the text of the

P R E F A C E

Epistolae De Rebus Familiaribus and *Epistolae Variae*, an edition containing many letters not before printed. The text of the present selection for the *Epistolae de Rebus Familiaribus* and *Variae* is that of Fracassetti, with some slight alterations of spelling and punctuation, to bring it into conformity with the usual English practice. Fracassetti's edition was not based on a very wide collation of manuscripts and is far from satisfactory. A national edition of the whole of the letters is at present being prepared by an Italian scholar, Professor Vittorio Rossi, and we may expect before long to have a definitive text. For the *Epistolae De Rebus Senilibus*, which have not been edited in modern times, the Basle edition of Petrarch's works, printed by Sebastian Henricpetri in 1581, has been followed, with considerable alterations of spelling and punctuation. The letters chosen from the *Epistolae de Rebus Senilibus* have been collated with the Venice edition of the works printed by Bevilacqua in 1503. This edition is in many respects better than the Basle edition, and has frequently supplied a more correct reading. It has not been thought necessary to mention in the notes every reading adopted from the Venice edition. Any alteration, other than obvious misprints, not derived from Fracassetti or from either the Basle or Venice edition, has been commented on in the notes, or enclosed in a square bracket. The numbering and arrangement of the letters is that of Fracassetti—of his Italian translation for the *Epistolae de Rebus Senilibus*—except that the few *Epistolae Variae* and the one *Epistola sine Titulo* given have been incorporated in a suitable chronological order.

Fracassetti also published an Italian translation with a commentary of the whole of the letters except the *Epistolae sine Titulo*. This commentary has been of great use in making the notes to this selection. But much work on the biography of Petrarch has been done since Fracassetti's day, and it has been possible to correct many of his statements and his chronology of the letters. The principal works of which use has been

made are referred to in the notes, and an index of such works has been added.

I am greatly indebted to Professor Cesare Foligno, who has given me invaluable help throughout, in revising the notes, directing my attention to many books and articles dealing with Petrarch, and in reading the proofs.

Note. For a general account of the Letters and Petrarch as a letter-writer see G. Voigt, *Die Briefsammlungen P.'s*, in 'Abhandlungen der historischen Classe der Bayrischen Akademie der Wissenschaften', vol. xvi, Abt. 3, 1883, and F. X. Kraus, *F. P. in seinem Briefwechsel*, in 'Essays', Berlin, 1896, pp. 399-546.

CHRONOLOGICAL SUMMARY

1304. July 20. Petrarch born at Arezzo.
1313. Petrarch with his family moves to Avignon.
1315. Enters the school of Convenevole at Carpentras.
1316. First visit to Vaucluse.
1319. Enters the University of Montpellier as a law student.
1323. Continues his law studies at the University of Bologna.
1326. April 26. Returns to Avignon.
1327. April 6. Sees *Laura* for the first time.
1328. Louis the Bavarian in Rome.
1330. Spends the summer at Lombez with the Bishop, Giacomo Colonna.
There he meets Laelius and Socrates. On his return he enters the household of Cardinal Giovanni Colonna.
1333. In the summer travels in France and Germany.
May 22. Victory of the Colonna over the Orsini at S. Cesario.
1334. December 4. Death of the Pope, John XXII (d'Euse).
December 20. Benedict XII (Fournier) elected Pope.
1335. January 25. Obtains a canonry at Lombez from the Pope. Defends the Della Scala and Da Correggio against the Rossi before the Pope over the occupation of Parma.
1336. April 26. Ascends Mount Ventoux.
At the close of the year he embarks at Marseilles for his first visit to Rome.
1337. January and February in Rome. Returns to Avignon August 16.
Birth of his son Giovanni.
Retires to his farm at Vaucluse.
1338. Beginning of the Hundred Years' War between France and England.
1340. September 1. Petrarch invited by the University of Paris and the Senate of Rome to receive the laurel crown.
1341. February. Leaves for Naples to the Court of King Robert before proceeding to Rome. Meets there Barbato of Sulmo.
April 8. Receives the laurel crown at Rome.
April 20. Reaches Pisa.
May 21. Enters Parma with Da Correggio.
September. Death of Giacomo Colonna.
1342. Returns to Avignon.
April 25. Death of the Pope, Benedict XII.
May 7. Clement VI (Roger) elected Pope.
Meets Cola di Rienzo.
October 6. Obtains a priory at Pisa from the Pope.
His brother Gherardo enters the monastery at Montrieux.
1343. January. Death of King Robert of Naples. Succession of Joan I.
Birth of Petrarch's daughter Francesca.
October 12. Petrarch arrives at Naples on an embassy from the Pope.
December. Proceeds to Parma.
1344. Buys a house in Parma.

1345. February 28. Escapes from Parma to Verona.
 September 18. Murder of Andrew of Hungary (King of Naples).
 Petrarch returns to Avignon at the end of the year.
1346. July 11. Charles of Bohemia elected King of the Romans.
 August 26. Battle of Crécy.
 October 27. Petrarch obtains from the Pope a canonry at Parma.
1347. May 20. Cola di Rienzo effects a revolution at Rome.
 Louis of Hungary invades the Kingdom of Naples to avenge the murder of Andrew his brother.
 November 20. Victory of Cola di Rienzo over the Colonna.
 Petrarch leaves Vaucluse and proceeds to Parma.
 December 15. Fall of Cola di Rienzo.
1348. The Great Plague (the Black Death).
 April 6. Death of Laura.
 July 3. Death of Giovanni Colonna.
 Petrarch travelling in Italy.
1349. January 24. Death of Luchino Visconti; Giovanni Visconti (Archbishop of Milan) succeeds him.
 Murder of Mainardo Accursio.
 Petrarch receives a canonry at Padua from Giacomo II da Carrara.
1350. Beginning of the war between Genoa and Venice.
 August 22. Death of Philip VI of France.
 October. Petrarch sets out for Rome for the Jubilee, visiting Florence on the way, where he meets Boccaccio and Francesco Nelli.
 December 21. Murder of Giacomo II da Carrara.
1351. January. Petrarch returns to Padua.
 April 6. Boccaccio brings Petrarch a letter from the Republic of Florence recalling him from exile.
 June 26 or 27. Petrarch arrives back at Vaucluse.
1352. December 6. Death of the Pope, Clement VI.
 December 18. Innocent VI (Aubert) elected Pope.
1353. April 19. Petrarch visits his brother at Montrieux.
 May 1. Leaves Vaucluse for the last time. He settles at Milan.
 August 29. Defeat of the Genoese Fleet off Loيرة in Sardinia.
1354. September 7. Death of the Doge, Andrea Dandolo.
 October 3. Death of Giovanni Visconti; Matteo II, Bernabò, and Galeazzo, his nephews, succeed him.
 October 10. Charles IV arrives at Mantua on his journey to Rome.
 Petrarch visits him there.
 November 4. Victory of Genoa at Sapienza.
1355. April 5. Charles IV crowned Emperor at Rome.
 Conspiracy of Marin Faliero.
 April 17. Execution of Marin Faliero at Venice.
 June 1. Peace between Genoa and Venice.
1356. May 20. Petrarch sets out for Prague on an embassy to the Emperor.
 September 12. Battle of Poitiers. King John of France taken prisoner.
1359. March. Boccaccio visits Petrarch at Milan.
1360. May 8. Peace of Brétigny.
 December. Petrarch goes to Paris on behalf of the Visconti to congratulate King John on his delivery.

CHRONOLOGICAL SUMMARY

1361. May. Death of Socrates.
July. Leaves Milan and goes to Padua.
July 10. Death of his son Giovanni at Milan.
1362. September. The Republic of Venice offers Petrarch a house in Venice.
September 22. Death of the Pope, Innocent VI.
October 28. Urban V (Grimoard) elected Pope.
1363. May—August. Boccaccio visits Petrarch at Venice.
Death of Laelius, Nelli, and Barbato.
1364. June. Victory of Venice in the war of Crete.
1365. Petrarch spends summer and autumn at Pavia. Return to Venice.
1367. August 24. Death of Cardinal Albornoz.
October. Urban V returns to Rome.
1368. May 29. Petrarch arrives at Pavia for the peace conference between the Visconti and their enemies.
June 15. Marriage of Violante, daughter of Galeazzo Visconti, and Lionel, Duke of Clarence. Petrarch returns to Padua.
1369. Petrarch spends the summer at Arquà.
1370. April. Starts on his journey to Rome in response to the Pope's invitation, but falls ill at Ferrara. Settles at Arquà.
September 24. Urban V returns to Avignon.
December 19. Death of Urban V.
December 30. Gregory XI (Roger) elected Pope.
1371. May 8. Illness of Petrarch.
1372. August. Death of Philippe de Cabassoles.
Owing to the war between Venice and Francesco da Carrara, Petrarch retires from Arquà to Padua.
1373. September 27. Goes to Venice with Francesco da Carrara's son to accept the Venetian terms.
Returns to Arquà.
1374. July 18. Death of Petrarch.

FRANCISCI PETRARCHAE

EPISTOLAE SELECTAE

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. i. 4.

AQVIS digressum, sed prius, unde ortum oppidi nomen putant, aquis Baiano more tepentibus ablutum, excepit Agrippina Colonia, quae ad sinistrum Rheni latus sita est, locus et situ et flumine clarus et populo. Mirum in terra barbarica quanta civilitas, quae urbis species, quae virorum 5 gravitas, quae munditiae matronarum! Forte Iohannis Baptistae vigilia erat, dum illuc applicui, et iam ad occidentem sol vergebatur; confestim amicorum monitu (nam et ibi amicos prius fama pepererat quam meritum) ab hospitio traducor ad fluvium, insigne spectaculum visurus. Nec fallebar. Omnis 10 enim ripa paeclaro et ingenti mulierum agmine tegebatur. Obstupui, dii boni! quae forma! quae facies! quis habitus! Amare potuisset, quisquis eo non paeoccupatum animum attulisset. In loco paulo altiore constiteram, unde in ea quae gerebantur intenderem. Incredibilis sine offensione 15 concursus erat, vicissimque alacres, pars herbis odoriferis incinctae, reductisque post cubitum manicis, candidas in gurgite manus ac brachia lavabant, nescio quid blandum peregrino murmure colloquentes. Vix nunquam clarius intellexi quod Ciceroni placet, et veteri proverbio dici solet: inter 20 linguas incognitas omnes propemodum surdos ac mutos esse. Vnum mihi solatium gratissimorum interpretum non deerat. Nam et hoc inter cuncta mirabere, coelum illud spiritus Pierios alere. Itaque dum miratur Iuvenalis, quod 'Gallia causidicos docuit facunda Britannos', miretur idem: 'docta 25 quod argutos aluit Germania vates.' At ne me auctore fallaris, scito ibi nullum Maronem esse, Nasones plurimos, ut

dicas verum fuisse praesagium, quod in fine libri *Metamorphoses* multum vel posteritatis gratiae vel ingenio suo fidens
30 ponit. Siquidem qua Romana potentia, seu verius, qua Romanum nomen domito orbe se porrigit, plausibiliter nunc faventis populi ore perlegitur. His ego comitibus, ubi quid audiendum seu respondendum incidit, pro lingua et pro auribus usus sum. Vnum igitur ex eo numero admirans et ignarus rerum
35 percontatus Virgiliano illo versiculo : ‘Quid vult concursus ad amnem ? Quidve petunt animae ?’ responsum accepi, pervertustum gentis ritum esse, vulgo persuasum praesertim femineo, omnem totius anni calamitatem imminentem fluviali illius diei ablutione purgari, et deinceps laetiora succedere ; itaque
40 lustrationem esse annuam, inexhausto semper studio cultam colendamque. Ad haec ego subridens : ‘O nimium felices’ inquam ‘Rheni accolae, quorum ille miserias purgat, nostras quidem nec Padus unquam valuit purgare, nec Tiberis. Vos vestra mala Britannis Rheno vectore transmittitis, nos nostra
45 libenter Afris, atque Illyriis mitteremus ; sed nobis, ut intelligi datur, pigriora sunt flumina.’ Commoto risu sero tandem inde discessimus.

Proximis aliquot diebus a mane ad vesperam civitatem iisdem ducibus circumivi, haud iniucundum exercitium, non tam ob
50 id quod ante oculos erat, quam recordatione nostrorum maiorum, qui tam procul^a patria monumenta Romanae virtutis tam illustria reliquissent. In primis autem occurrebat Marcus Agrippa, coloniae illius auctor, qui licet multa domi, multa foris praeclara construxerit, illam tamen ex omnibus dignam censuit, cui suum nomen imponeret, aedificator ac bellator egregius, dignusque habitus, quem Augustus in generum ex toto orbe deligeret, qualiscumque filiae virum, sed dilectae, sed unicae, sed Augustae. Vidi tot simul truncam millia sacrarum virginum et terram generosis dicatam reliquiis,
60 ac degenerum, ut aiunt, cadaverum expultricem. Vidi Capitolium, effigiem nostri, nisi quod pro senatu illic pacis ac belli consilia agitante, hic formosi iuvenes ac puellae mixtim noctur-

nas laudes Deo concinunt, aeterna concordia; ibi rotarum et armorum strepitus ac gemitus captivorum, hic quies et gaudium, et iocantium voces; denique illuc bellicus, huc pacificus triumphator ingreditur. Vidi templum urbe media pulcherrimum, quamvis inexpletum, quod haud immerito summum vocant. Magorum ibi regum corpora, ab ortu ad occasum tribus saltibus transvecta, quos æthereum quondam regem ad praesepia vagientem cum muneribus veneratos ⁷⁰ legimus, venerabundus aspexi. . . . [He apologises for the length of his letter, but says that the Cardinal had himself invited him to write freely.]

Procedo. A. d. II. Kalendas Iulias Colonia discessi, tanto sole ac pulvere, ut saepe 'Alpinas nives ac frigora Rheni' a Virgilio ⁷⁵ requirerem. Inde Arduennam sylvam scriptorum testimonio pridem mihi cognitam sed visu atram atque horrificam transivi solus (et quod magis admireris) belli tempore. Sed incautos, ut aiunt, Deus adiuvat. At ne longum iter vix equo peractum calamo remetiar, multis ego regionibus ambitis, hodierno die ⁸⁰ Lugdunum perveni. Nobilis et ipsa Romanorum colonia est, paululumque vetustior Agrippina. Duo hic noti amnes in nostrum mare currentes Rhodanus Ararisque convenient; Sonnam incolae appellant. Sed de his nihil amplius. Iuncti enim ad te properant, alter cogenti, alter coacto similis, et ⁸⁵ Avignonem, ubi te nunc et genus humanum Romanus Pontifex detinet, permixtis vadis ablauunt.

Huc ego cum mane pervenissem, et intranti forte familiaris hic tuus occurrisset, mille eum quaestiunculis, ut mos est peregre redeuntium, aggredior. Ille autem nihil ad reliqua, ⁹⁰ sed præclarissimum fratrem tuum, ad quem maxime properabam, sine me Romam petiisse narravit. Quo audito querendi veniendique ardor repente deferbuit. Hic igitur exspectare in animo est, donec et aestas ipsa deferveat, quam hucusque non senseram, et me vegetiorem quies faciat, qui me fessum esse ⁹⁵ hoc ipso primum loquente perpendi. Nulla quidem fatigatio maior quam animi est, quod si reliqui itineris taedium subierit,

Rhodanus mihi pro vehiculo erit. Interim ut noris ubi sum,
 haec tibi festinante nuntio transcurrere [sic] non piguit. De
 100 fratre item tuo, duce olim, nunc (da dolori veniam) desertore
 meo, nusquam alibi quam apud ipsum conqueri visum est ;
 quam querelam, ut sibi quam primum mitti iubeas, oratus
 facito. Et vale nostri memor. Lugduni, v. Idus Augusti
 [1333].

Iacobo Columnae. Fam. ii. 9.

[Semisopitum epistolae tuae . . .] [In reply to a letter of Giacomo's P. maintains that his affection for St. Augustine is genuine, and is consistent with his love of the philosophers and poets. He quotes the example of St. Augustine himself.]

5 . . . Sed nihil iocis lentius, nihil flexibilis; quocumque traxeris,
 sequuntur. Quid ergo ais finxisse me mihi speciosum Laureae
 nomen ut esset, et de qua ego loquerer, et propter quam de
 me multi loquerentur, re autem vera in animo meo lauream
 nihil esse nisi illam poeticam, ad quam aspirare me longum et
 10 indefessum studium testatur ; de hac autem spirante Laurea,
 cuius forma captus videor, manu facta esse omnia, facta carmina,
 simulata suspiria ? In hoc uno vero utinam iocareris ! Simulatio
 esset utinam et non furor ! Sed, crede mihi, nemo sine
 magno labore diu simulat. Laborare autem gratis ut insanus
 15 videaris, insania summa est. Adde quod aegritudinem gestibus
 imitari benevolentes possumus, verum pallorem simulare non
 possumus. Tibi pallor, tibi labor meus notus est ; itaque magis
 vereor, ne tu illa festivitate Socratica, quam ironiam vocant,
 quo in genere ne Socrati quidem cedis, morbo meo insultes.
 20 Sed exspecta ; ulcus hoc cum tempore maturescit, verumque
 fiet in me Ciceronianum illud : ‘ dies vulnerat, dies medetur.’
 Atque adversus hanc simulatam, ut tu vocas, Lauream, simulatus
 ille mihi etiam Augustinus forte profuerit ; multa enim
 et gravia legendo multumque meditando, antequam senescam,
 25 senex ero.

Quis autem erit facetiarum modus ? Vbi desines ? Quid
 ais, tentatum te quoque fictionibus meis ac prope delusum,

immo vero delusum aliquamdiu exspectasse me Romae, simulantem ingens veniendi teque revidendi desiderium, tandem, quod spectatores callidi in circulatorum praestigiis solent, 30 aperienti tibi oculos et in artes meas profundius intendent, omnem ingenii mei scenam patuisse? . . . [He is giving P. the reputation of a magician.]

Sed iam satis superque iocum traximus; serio velim mihi respondeas. Cesset quamvis ardor faciem tuam videndi, quem 35 laboriosissime in quartum annum iam protraxi, dum cogito: ecce ille cras aderit, ecce tu postridie movebis. Excidat quidem curarum non mediocris cumulus, quem cum nullo mortalium nisi tecum aequo animo partirer; quiescat affectus cernendi praeclarissimum patrem tuum, magnanimos fratres, honestissimas sorores, exoptatos amicorum vultus. Quanti demum aestimaturum reris moenia Urbis et colles, et, ut ait Virgilius, 'Tuscum Tiberim et Romana palatia,' cernere? Credi non posset quantum urbem illam, desertam quamvis, et veteris effigiem Romae, spectare cupiam, quam nunquam vidi, ubi segnitem 45 meam, si tamen segnities et non necessitas fuit, incuso. Exultare mihi videtur Seneca ad Lucilium scribens ex ipsa villa Scipionis Africani, nec modicum dicit vidiisse locum ubi ille vir tantus exulaverat, ubi negata patriae ossa reliquerat. Quod si contigit Hispano homini, quid me hominem Italicum sentire 50 putas? Non de villa Literni aut de Scipionis sepulchro, sed de urbe Roma, ubi Scipio natus est, ubi educatus, ubi victor idem et reus pari gloria triumphavit; ubi non unus ille, sed innumerabiles vixerunt viri, quos nunquam fama tacitura est. De civitate, inquam, illa, cui nulla similis fuit, nulla futura est; 55 quae civitas regum etiam ab hoste dicta est. De cuius populo scriptum legimus: 'Magna est fortuna populi Romani, magnum et terribile nomen'; cuius sine exemplo magnitudinem atque incomparabilem monarchiam futuram praesentemque divini cecinerunt vates.

Neque ego nunc Romanas prosequor laudes; maior res est quam ut possit a transcurrente tractari. Sed haec cursim

attigi, ut intelligeres non parvi pendere me reginae urbis aspectum, de qua infinita perlegi et ipse multa iam scripsi, 65 plura forte scripturus, nisi primordia mea praecipitata dies mortis abrumpat. Finge me his nequaquam tangi; quam dulce tamen est Christiano animo urbem cernere, coeli instar in terris, sacrosanctis martyrum nervis atque ossibus consertam, et veri testium pretiosa caede respersam, videre verendam 70 populis Salvatoris imaginem et in saxo durissimo aeternum gentibus adorando vestigia? Vbi ad litteram luce clarius impletum cernitur illud Isaiae: ‘Et venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.’ Circumire sanctorum 75 tumulos, vagari per Apostolorum atria, melioribus iam curis comitantibus et inquieta sollicitudine vitae praesentis in litore Massiliae destituta.

Quae cum ita sint, quid me segnem vocas, cum scias quod iter meum ex alieno pendet arbitrio? Ego me ipsum tibi 80 dederam, parvum quidem, sed perpetuum munus. Tu me alteri parere voluisti, si alter proprie dicitur talis et tam unanimis germanus. Nihil hic mihi conscient sum; si culpa est, vel tibi parce vel fratri.

In extrema litterarum parte veritus forte ne lepidissimis 85 iocis tuis offenderer (solet enim leonis quantumlibet blanda contrectatio animantia parva perterrere), suaveolentis unguenti drachmam adhibes, ubi pupugisse videbare, dum me ad te amandum, immo vero ad tibi reddendas amoris vices, prae-dulciter cohortaris. Quid dicam? Multa loqui non magis 90 dolore quam gaudio praepedimur. Hoc unum, me tacente, non ignoras: usque adeo saxeus non sum ut ad tam debitum amorem sit mihi necessarius hortator; atque utinam in amando non magis freno quam calcaribus egerem! Tranquillior iuventa sequeretur; hoc saltem oro, ne finxisse me fingas. 95 Vale. Avinione xii. Kalendas Ianuarii [1336].

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. ii. 12.

PEROPPORTVNVM curis meis locum, si non alio pro-
peraret animus, nactus sum in regione Romana. Caprarum
mons dictus est olim, credo, quod silvestribus virgultis obcessus,
capris quam hominibus frequentior haberetur. Paulatim
cognitus loci situs et spectata fertilitas habitatores aliquot 5
sponte contraxit, a quibus arx eminenti satis tumulo fundata,
et domorum quantum collis angustus patitur, adhuc vetus
Caprarum vocabulum non amisit. Locus ignobilis fama,
nobilioribus cingitur locis. Est hinc Soracte mons, Silvestro
clarus incola, sed et ante Silvestrum poetarum carminibus 10
illustris. Hinc Cimini cum monte lacus, quorum meminit
Virgilius. Hinc Sutrium, quod non nisi duobus passuum
millibus abest, sedes Cereri gratissima et vetus, ut perhibent,
Saturni colonia. Campus ostenditur non longe a muris ubi
primum in Italia frumenti semen ab advena rege iactum dicunt, 15
primam messem falce desectam, quo beneficio miraculoque
delinitis animis, in partem regni vivens, in opinionem divini-
tatis vita functus, favore hominum exceptus, senex rex, et
falcifer deus est. Aer hic, quantum breve tempus ostendit,
saluberrimus. Hinc, illinc, colles innumeri, altitudine nec 20
accessu difficulti et expedita prospectui; inter quos et umbrosa
laterum convexa et opaca circum antra subsidunt. Vndique
submovendis solibus frondosum nemus erigitur, nisi quod ad
Aquilonem collis humilior apricum aperit sinum, mellificis
apibus floream stationem; fontes aquarum dulcium imis 25
vallibus obstrepunt; cervi, damae, capreoli et feri nemorum
greges apertis vagantur collibus. Omne volucrum genus vel
undis vel ramis immurmurat; nam boum et omnis mansueti
pecoris armenta et humani laboris fructus, Bacchi dulcedinem
et Cereris ubertatem, ad haec et illa naturae dona, vicinos 30
lacus ac flumina et non longinquum mare, praetereo.

Pax una, quonam gentis crimine, quibus coeli legibus, quo
fato, seu qua siderum vi, ab his terris exulet, ignoro. Quid

enim putas? Pastor armatus silvis invigilat, non tam lupos
35 metuens quam raptore; loricatus arator, hastam ad usum
rustici pugionis invertens, recusantis bovis terga sollicitat.
Auceps retia clypeo tegit, et piscator hamis fallacibus haeren-
tem escam rigido mucrone suspendit; quodque ridiculum
40 dixeris, aquam e puteo petiturus, rubiginosam galeam sordido
fune connectit. Denique nihil sine armis hic agitur. Quis ille
pernox ululatus vigilum in moenibus, quae voces ad arma
conclamantium, quae mihi in sonorum locum, quos blandis
e fidibus exprimere consueveram, successere? Nihil incolis
harum regionum inter se aut tutum videoas aut pacatum audias
45 aut humanum sentias, sed bellum et odia et operibus daemonum
cuncta simillima. His in locis, pater inclyte, inter volentem ac
nolentem dubius iam sextumdecimum diem ago, et quantum
potest in rebus omnibus consuetudo, fragore militum et stridore
lituum ceteris in aciem concurrentibus, me saepe per hos colles
50 vagum videoas, atque aliquid quod posteritatem mihi conciliet
assidue meditantem. Omnes me cum admiratione respiciunt
otiosum, intrepidum et inermem; contra ego omnes admiror
pavidos, sollicitos et armatos.

Haec est humanarum varietas actionum. Quod si forsitan
55 interroger an hinc migrare malim, non facile dixerim; et ire
iuvat et manere delectat. Ad primum pronior sum, non quod
hic molesti quidquam patiar, sed Romam visurus domo move-
ram. Est autem secundum naturam, ut usque in finem
votorum animus non quiescat; ex quo maxime colorem mihi
60 videtur habuisse opinio illa, quae beatifica visione Dei, in qua
consummata felicitas hominum consistit, defunctorum animas
tam diu carituras astruebat, donec corpora resumpsissent;
quod naturaliter non optare non possunt, quamvis illa sen-
tentia multorum saniore iudicio victa et cum auctore suo (da
65 veniam, quaeso, qui valde eum sed non errores eius dilexisti)
sepulta iampridem sit. Vale. [1337.]

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. ii. 13.

IN hoc ecce Caprarum, immo vero leonum ac tigridum monte, quolibet agno mitior Vrsus iste tuus habitat, Anguillariae comes, amator pacis, sine bellorum metu, inter bella securus, non sine pacis desiderio, hospitalitate secundus nemini, consilio vigens, blande severus, et rigide benignus in suos, Pieridum 5 familiarissimus, et excellentium ingeniorum mirator elegantissimus ac laudator. Et secum non adversum, ut ille, sed conveniens moribus suis nomen sortita, Agnes coniunx eius, praeclarissima soror tua, de qua, ut de Carthagine Sallustius ait, silere melius puto quam parum dicere. Sunt enim quaedam, 10 quae nullo melius modo quam stupore et silentio laudantur; horum ex genere soror tua est. Hoc concors et mite par coniugum, ceu rosas aut lilia, totidem notavi inter spineta ac tribulos odiorum; horum suavitate utcumque reliquorum temperatur asperitas.

15

Accessit divinus et singularis vir, Iacobus de Columna, Lomberiensis Episcopus, germanus tuus, ad quem cum adventus mei nuntium praemisissem per litteras, quid me agere vellet interrogans, quoniam obsidentibus omnes aditus domus tuae hostibus, non tuto videbar Romam petiturus, rescripsit ille 20 congratulatus adventui, et exspectare iubens; paucisque post diebus a. d. vii. Kalendas Februarii adfuit cum Stephano fratre primogenito, cuius etiam virtus eximia, magna quidem materia vatum est; neque amplius quam centum armatis equitibus stipatus uterque, non sine spectantium horrore transiverat, 25 cum quingentos et eo amplius sub hostium signis esse constaret. Sed ea quae saepe bellum conficit, fama ducum iter straverat. Cum his ego nunc generosis spiritibus habito, tanta dulcedine ut saepe alibi quam in terris esse videar, nec iam Romam magnopere requiram. Ibimus tamen, quamvis denuo 30 dicantur adversarii redditum in urbem accuratius obstruxisse.

Vale. [1337.]

Thomae Messanensi. Fam. iii. 1.

PERAMBVLANTI veterum confinia, accessu quidem aspera,
sed amoena dum perveneris, creber scrupulus ingenii pede
calcandus est. Hoc sane, quem tu tibi nuper iniectum scribis,
ego iampridem premor, quaeroque itidem quanam mundi
5 parte Thule sit insula; quaero, sed, ut verum fatear, nec certo
indice nec ad rem ducentibus coniecturis aut ipsam aut ullam
inveniendi spem invenio. Et haec tibi quidem ex ipsis Britan-
nici Oceani litoribus, propinquior, ut fama est, ipsi quam
vestigamus insulae, scribo . . . [The ancient writers placed Thule
10 in the north-west, but he finds the inhabitants of the north-west of
Europe know nothing of it.]

Mihi quidem de hac re cum Richardo, quondam Anglorum
regis cancellario, sermo non otiosus fuit, viro ardantis ingenii
nec litterarum inscio, et qui, ut in Britannia genitus atque
15 educatus, abditarumque rerum ab adolescentia super fidem
curiosus, talibus praesertim quaestiunculis enodandis aptissi-
mus videretur. Ille autem, seu quia sic speraret, seu quia
puderet ignorantiam fateri (qui mos hodie multorum est, qui
non intelligunt quanta modestiae laus sit homini nato nec
20 nosse omnia valenti profiteri ingenue se nescire quod nesciat),
seu forte, quod non suspicor, quia huius mihi arcani notitiam
invideret, respondit certe se dubietati meae satisfacturum,
sed non priusquam ad libros suos, quorum nemo copiosior
fuit, in patriam revertisset. Erat enim, dum in amicitiam eius
25 incidi, tractandis domini sui negotiis apud Sedem Apostolicam
peregrinus, ea scilicet tempestate, qua inter praefatum
dominum suum et Francorum regem prima diuturni belli
semina pullulabant, quae cruentam messem postea protulere.
Necdum repositae falces aut clausa sunt horrea. Sed dum
30 promissor ille meus abiisset, sive nihil inveniens, sive noviter
iniuncti pontificalis officii gravi munere distractus, quamvis
saepe litteris interpellatus, exspectationi meae non aliter quam

obstinato silentio satisfecit. Ita mihi Thule amicitia Britannica nihil notior facta est.

Post annos vero venit in manus meas libellus de mirabilibus 35 Hiberniae a Giraldo quodam aulico Henrici secundi regis Anglorum, licet tenui rerum stilo, non rudi tamen verborum arte contextus, quem ne totum bibliothecae nostrae foribus excluderem, brevis quaedam ipsius particula promeruit, ubi de hac eadem insula nostra similis et operosa dubitatio in- 40 sert a sit. Itaque similitudo una ingenii mihi totius operis commendavit auctorem. Aliquot ibi scriptorum sententias attingit, quod insularum Oceani, quae circa Britanniam, quaeve inter Arcton et occasum sunt, extrema sit Thule. Vbi aestivo nulla nox, brumali contra solstitio nulla dies, ultra 45 quam pigrum atque concretum iaceat mare . . . [P. adds his recollection of what the Roman geographers have said of the island.] Vale. [1333 ?]

Vmberto Delfino Viennensi. Fam. iii. 10.

FIDES silentium interruptit, caritas loqui cogit; testor Christum, coactus ad scribendum venio, quae si eodem animo lecta fuerint quo scribuntur poterunt et mihi apud te benivolentiam augere et tibi gloriam apud gentes. Quonam enim modo dissimulare possum, si non falsum amicitiae nomen 5 gero, quin te magnis periculis circumventum vel dormientem excitem, vel commonefaciam vigilantem? Vides quam grave bellum inter Gallum Britannumque reges oritur; nulla procul dubio tanta res ab avorum nostrorum temporibus, certe nec ab atavis proavorum, in Europae finibus apparuit, aut 10 tam latus gloriae campus fortibus viris oblatus est. Cuncti reges ac populi suspensi ad tantae contentionis eventum, praecipue qui ab Alpibus Italiae ad Oceanum incolunt, quos ingens vicini tumultus excivit fragor, in armis sunt. 'Tū solus tanto sub turbine dormis.' Te quidem Virgiliana premit 15 increpatio et tibi coelo missus nuntius exclamat: 'Potes hoc

sub casu ducere somnos ? Nec quae circumstent te deinde pericula cernis ?' Profecto si nihil aliud quam pudor obstreperet, debebas celerius expurgisci. Qua enim fronte, quo
 20 animo, ceteris ad aestivum solem sub galea et umbone degentibus, tu procul ab agmine virorum, femineaque circumstipatus acie, conquisitis pastus epulis et molli veste contextus, umbra torpes et otio, homo olim, ut putabam,
 avidus honoris et gloriae, homo potens et nobilis, homo
 25 iuvenis et robustus ?

Quid, oro, te impedit ? Munditias amas, refugis labores ? Sed audi fortissimi viri verbum a Sallustio relatum : 'Munditias mulieribus, laborem viris convenire.' Sitim metuis et calles arenosos et serpentes sub Leone terribiles ? Sed alterius, etsi
 30 minus bellicosi, non minus fortis viri dictum accipe : 'Serpens, sitis, ardor arenae Dulcia virtuti, gaudet patientia duris.' At mortem gladiosque formidas ? Sed et hic verbum occurrat alterius viri fortis : 'Mors ultima poena est, Nec metuenda viris.' Non plus, inquam, metuenda quam somnus aut requies.
 35 Quid enim inter mortis et originis diem refert ? Immo vero largiter, ille nos humanae vitae laboribus involvit, hic liberat. Hinc ille mos ex intimis philosophiae penetralibus eductus in suorum ortu lugentium, atque in morte gaudentium. Sed ne ab opinionibus vulgarium recedamus, a quibus tamen, si
 40 ad salutem pergimus, quam longissime recessendum est, detur timendam esse mortem, et illud vulgatissimum Aristotelis audiatur : 'mortem esse ultimum terribilium'; qui et ipse quoque consulto non maximum dicere voluit, sed extremum. Sed esto, sit maximum, putasne illam ideo vitare quia bello
 45 abstines aut mari ? Notum et illud alterius poetae : 'Frustra cruento Marte carebimus Fractisque rauci fluctibus Hadriae, Frustra per autumnos nocentem Corporibus metuemus Austrum.' Quamlibet exactam curam nostri corporis habentibus moriendum est; sed prolatandae mortis studium solet
 50 esse mortalibus, fateor, et excusationem publicae imbecillitatis agnosco. Primum, oro te, quantula ista dilatio est ? Deinde

quot et quam duris casibus exposita, quam multis vixisse nocuit et vitae gloriam imminuit mors dilata? Quotidianis exemplis abundamus, sed reverentius antiqua commemoro nostra quoque libentius quam externa . . . [He cites examples 55 from ancient history, and enlarges on the folly of seeking to avoid death.]

Quae cum ita sint, hortor atque obsecro, ut iam tandem caput attollens circumspicias. Videbis immensam molem tantis regum et populorum apparatibus nutantem ruituram- 60 que, quo eam fortunae vis impulerit. Non est dissimulatione locus. Hostes tui vigilant et regem iugi obsequio circumstant. Cui si victoria cesserit, somnum tuum in tanto nunc eius discrimine contemplanti, et praeter hoc ab olim tibi, si nescis, infesto, quid illum animi habiturum reris? Sin aliter succes- 65 serit (omnia enim rotat ad libitum fortuna), an forsitan tibi ex praesenti otio securitatem in illo ardore victoriae partam speras? Tu vero, non quia volueris, sed quia timueris, cessasse videberis, teque communis ruina cum universitate pariter involvet. Crede mihi, pars utraque spectatorem te certaminis 70 vocabit, paratum ad fortunae nutum atque ad victoris arbitrium circumvolvi. Ita nusquam favor, undique periculum. Meminisse profuerit Metii ducis Albanorum, qui quadrigis in diversum actis ab Hostilio, Romanorum rege, disceptus est, quod inter armatas acies se medium praebuisset. Expergiscere, 75 oro, velociter et, dum adhuc tempus est, neglectum hactenus ad officium redi; mundo enim tremente dormire nescio quid morti similius quam sopori est. Vale. [1339.]

Dionysio suo. Fam. iv. 1.

ALTISSIMVM regionis huius montem, quem non immerito Ventosum vocant, hodierno die, sola videndi insignem loci altitudinem cupiditate ductus, ascendi. Multis iter hoc annis in animo fuerat; ab infantia enim his in locis, ut nosti, fato res hominum versante, versatus sum. Mons autem hic 5

late undique conspectus fere semper in oculis est . . . [He describes what the Roman historians have written of Mount Haemus in Thessaly.]

Sed de socio cogitanti, mirum dictu, vix amicorum quisquam
 10 omni ex parte idoneus videbatur; adeo, etiam inter caros,
 exactissima illa voluntatum omnium morumque concordia
 rara est. Hic segnior, ille vigilantior; hic tardior, ille celerior;
 hic moestior, ille laetior; denique hic stultior, prudentior
 ille quam vellem; huius silentium, illius procacitas, huius
 15 pondus ac pinguedo, illius macies atque imbecillitas terrebat;
 huius frigida incuriositas, illius ardens occupatio dehortabatur.
 Quae, quamquam gravia, tolerantur domi; omnia enim suffert
 caritas, et nullum pondus recusat amicitia. Verum haec
 eadem fiunt in itinere graviora. Itaque delicatus animus,
 20 honestaeque delectationis appetens, circumspiciensque librabat
 singula, sine ulla quidem amicitiae laesione. Tacitus quid-
 quid proposito itineri praevidebat molestum fieri posse dam-
 nabat. Quid putas? Tandem ad domestica vertor auxilia,
 germanoque meo unico minori natu, quem probe nosti,
 25 rem aperio; nil poterat laetius audire, gratulatus quod apud
 me amici simul ac fratris teneat locum.

Statuta die, digressi domo, Malaucenam venimus ad vespe-
 ram; locus est in radicibus montis versus in Boream. Illic
 unum diem morati, hodie tandem cum singulis famulis
 30 montem ascendimus, non sine multa difficultate. Est enim
 praerupta et paene inaccessible saxosae telluris moles; sed
 bene a poeta dictum est: ‘Labor omnia vicit Improbus.’
 Dies longa, blandus aer, animorum vigor, corporum robur ac
 dexteritas, et si qua sunt eiusmodi, euntibus aderant; sola
 35 nobis obstabat natura loci. Pastorem exactae aetatis inter
 convexa montis invenimus, qui nos ab ascensi retrahere multis
 verbis enixus est, dicens se ante annos quinquaginta eodem
 juvenilis ardoris impetu supremum in verticem ascendisse,
 nihilque inde retulisse praeter poenitentiam et laborem,
 40 corpusque et amictum lacerum saxis et veribus; nec unquam

aut ante illud tempus aut postea auditum apud eos quemquam ausum esse similia. Haec illo vociferante nobis, ut sunt animi iuvenum monitoribus increduli, crescebat ex prohibitione cupiditas; itaque senex ubi animadvertisit se nequidquam niti, aliquantulum progressus, inter rupes arduum callem 45 digito nobis ostendit, multa monens, multaque iam digressis a tergo ingeminans.

Dimisso penes illum, si quid vestium aut rei cuiuspam impedimento esset, soli dumtaxat ascensui accingimur, alacresque concendimus. Sed, ut fere fit, ingentem conatum 50 velox fatigatio subsequitur. Non procul inde igitur quadam in rupe subsistimus; inde iterum digressi provehimur, sed lentius, et praesertim ego montanum iter gressu iam modestiore carpebam; et frater compendiaria quidem via per ipsius iuga montis ad altiora tendebat, ego mollior ad ima vergebam; 55 revocantique et iter rectius designanti respondebam sperare me alterius lateris faciliorem aditum nec horrere longiorem viam, per quam planius incederem. Hanc excusationem ignaviae praetendebam, aliisque iam excelsa tenentibus per valles errabam, cum nihilo mitior aliunde pateret accessus, sed 60 et via cresceret et inutilis labor ingravesceret. Interea, cum iam taedio confectum perplexi pigeret erroris, penitus alta petere disposui; cumque opperientem fratrem et longo reflectum accubitu fessus et anxius attigissem, aliquamdiu aequis passibus incessimus. 65

Vixdum collem illum reliqueramus et ecce prioris anfractus oblitus, iterum ad inferiora deiicior, atque iterum peragratiss vallibus, dum viarum facilem longitudinem sector, in longam difficultatem incido. Differebam nempe ascendendi molestiam, sed ingenio humano rerum natura non tollitur, nec fieri 70 potest, ut corporeum aliquid ad alta descendendo perveniat. Quid multa? . . . [He encourages himself to persevere.] Haec mihi cogitatio, incredibile dictu est, quantum ad ea quae restabant et animum et corpus erexerit. Atque utinam vel sic animo peragam iter illud, cui diebus et noctibus suspiro, 75

sicut superatis tandem difficultatibus hodiernum iter corporeis
pedibus peregi. At nescio an non longe facilius esse debeat,
quod per ipsum animum agilem et immortalem, sine ullo
locali motu, in ictu trepidantis oculi fieri potest, quam quod
80 successu temporis per moribundi et caduci corporis obsequium
ac sub gravi membrorum fasce gerendum est.

Collis est omnium supremus, quem silvestres *Filiolum* vocant,
cur ignoro, nisi quod per antiphrasim, ut quaedam alia, dici
suspicer. Videtur enim vere pater omnium vicinorum mon-
85 tium. Illius in vertice planities parva est; illic demum fessi
conquievimus. Et quoniam audisti quaenam ascendentis
impetus accenderint curae, audi, pater, et reliqua, et unam
precor horam tuam relegendis unius diei mei actibus tribue.
Primum omnium spiritu quodam aeris insolito et spectaculo
90 liberiore permotus stupenti similis steti. Respicio; nubes
erant sub pedibus. Iamque mihi minus incredibiles facti
sunt Athos et Olympus, dum quod de illis audieram et legeram
in minoris famae monte conspicio. Dirigo dehinc oculorum
radios ad partes Italicas, quo magis inclinat animus. Alpes
95 ipsae rigentes ac nivose, per quas ferus ille quondam hostis
Romani nominis transivit, aceto, si famae credimus, saxa
perrumpens, iuxta mihi visae sunt, cum tamen magno distent
intervallo. Suspiravi, fateor, ad Italicum aerem, animo potius
quam oculis apparentem, atque inextimabilis me ardor invasit
100 et amicum et patriam revidendi, ita tamen ut interim in
utroque nondum virilis affectus mollitatem increparem, quamvis
excusatio utrobique non deforet, magnorum testium fulta
praesidio.

Occupavit inde animum nova cogitatio atque a locis traduxit
105 ad tempora. Dicebam enim ad me ipsum: hodie decimus
annus completur, ex quo puerilibus studiis dimissis Bononia
excessisti; et o Deus immortalis! o immutabilis sapientia!
quot et quantas morum tuorum mutationes hoc medium
tempus vidit! Infinita praetereo; nondum enim in portu
110 sum ut securus praeteritarum meminerim procellarum . . .

[*Though still subject to temptation, his desire for reform is genuine.*]

Instare enim tempus abeundi, quod inclinaret iam sol et umbra montis excresceret; admonitus et velut expergefactus verto me in tergum ad occidentem respiciens. Limes ille ¹¹⁵ Galliarum et Hispaniae Pyrenaeus vertex inde non cernitur, nullius quem sciam obicis interventu, sed sola fragilitate mortalis visus. Lugdunensis autem provinciae montes ad dexteram, ad laevam vero Massiliae fretum et quod Aquas Mortuas verberat, aliquot dierum spatio distantia, paeclaris- ¹²⁰ sime videbantur. Rhodanus iste sub oculis nostris erat.

Quae dum mirarer singula et nunc terrenum aliquid saperem, nunc exemplo corporis animum ad altiora subveharem, visum est mihi Confessionum Augustini librum, caritatis tuae munus, inspicere, quem et conditoris et donatoris in memoriam servo, ¹²⁵ habeoque semper in manibus, pugillare opusculum, perexigui voluminis sed infinitae dulcedinis. Aperio, lecturus quidquid occurreret; quid enim nisi pium et devotum posset occurrere? Forte autem decimus illius operis liber oblatus est. Frater, exspectans per os meum ab Augustino aliquid audire, intentis ¹³⁰ auribus stabat. Deum testor ipsumque qui aderat, quod ubi primum defixi oculos scriptum erat: ‘Et eunt homines admirari alta montium et ingentes fluctus maris et latissimos lapsus fluminum et oceanii ambitum et gyros siderum et relinquunt se ipsos.’ Obstupui, fateor, audiendique avidum ¹³⁵ fratrem rogans, ne mihi molestus esset, librum clausi iratus mihi met quod nunc etiam terrestria mirarer, qui iampridem ab ipsis gentium philosophis discere debuisse, nihil praeter animum esse mirabile, cui magno nihil est magnum.

Tunc vero montem satis vidisse contentus in me ipsum ¹⁴⁰ interiores oculos reflexi, et ex illa hora non fuit qui me loquenter audiret, donec ad ima pervenimus . . . [*He is convinced that it was not mere chance which led him to open at that sentence of St. Augustine.*] Hos inter nudos pectoris motus, sine sensu scrupulosi tramitis, ad illud hospitiolum rusticum, unde ante ¹⁴⁵

lucem moveram, profunda nocte remeavi, et luna pernox
 gratum obsequium praestabat euntibus. Interim ergo, dum
 famulos apparandae coenae studium exercet, solus ego in
 partem domus abditam perrexii, haec tibi raptim et ex tempore
 scripturus, ne, si distulisset, pro varietate locorum mutatis
 forsitan affectibus scribendi propositum deferveret. Vide
 itaque, pater amantissime, quam nihil in me oculis tuis occultum
 velim, qui tibi nedum universam vitam meam, sed cogitatus
 singulos tam diligenter aperio. Pro quibus oro, quaeso, ut
 tam diu vagi et instabiles, aliquando subsistant et inutiliter
 per multa iactati, ad unum bonum verum, certum, stabile se
 convertant. Vale. vi. Kalendas Maias, Malauceno [1336].

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. iv. 4.

ANCIPITI in bivio sum, nec quo potissimum vertar scio.
 Mira quidem sed brevis historia est. Hodie die, hora
 ferme tertia, litterae Senatus mihi redditae sunt, in quibus
 obnixe admodum et multis persuasionibus ad percipiendam
 lauream poeticam Romam vocor. Eodem hoc ipso die, circa
 horam decimam, super eadem re ab illustri viro Roberto, Studii
 Parisiensis Cancellario, concive meo, mihique et rebus meis
 amicissimo, nuntius cum litteris ad me venit. Ille me ex-
 quisitissimis rationibus ut eam Parisium hortatur. Quis
 unquam, oro te, eventorum tale aliquid hos inter scopulos
 divinasset? Et sane, quia res paene incredibilis videtur,
 utramque epistolam illaesis signis ad te misi. Haec ad orientem,
 haec ad occidentem vocat. Videbis quam validis hinc atque
 illinc argumentis premor.

i Scio quidem in rebus humanis fere omnibus nihil solidi
 inesse. Magna, ni fallor, in parte curarum actuumque nostro-
 rum umbris eludimur. Tamen, ut est animus iuvenum,
 gloriae appetentior quam virtutis, cur non ego, quoniam apud
 te familiariter gloriandi praestas audaciam, tam hoc mihi
 gloriosum rear, quam sibi olim potentissimus Africæ regum

Syphax, quod uno eodemque tempore duarum toto orbe maximarum urbium, Romae atque Carthaginis, in amicitiam vocaretur? Nimirum id regno eius atque opibus tribuebatur, hoc mihi. Itaque illum inter aurum ac gemmas superbo solio subnixum et armatis stipatum satellitibus sui supplices re- 25 perere; me solivagum mane in silvis, sero autem in pratis Sorgiae ripis obambulantem invenerunt mei. Mihi honor offertur, ab illo auxilium poscebatur. Sed quoniam laetitia inimica consilio est, ·fateor, ut laetus eventu, sic dubius animi sum. Vrget enim hinc novitatis gratia, hinc reverentia vetu- 30 statis, hinc amicus, hinc patria. Vnum ab altera lance pre-ponderat, quod rex Siculus in Italia est, quem e cunctis mortalibus aequiore animo ingenii iudicem pati possum. Curarum mearum fluctus vides. Tu, quem ad earum gubernacula manus porrigere non puduit, fluctuantem animum 35 consilio tuo reges. Vale. Ad fontem Sorgiae, Kalendis Septem-bris ad vesperam [1340].

Iacobo Columnae. Fam. iv. 6.

FORTUNAE insidias non hodie primum intelligere in-
cipio. Non invadit nos tantum illa, sed spargit ac separat,
ne laetis scilicet et adversis in rebus alter alteri solatio sit.
Norat illa, quæntæ olim meum cor urerent curae, quibus ad
plenum mederi te praeter nemo poterat. Tunc ergo mirum 5
in modum conquisitis causis te in illo pectoris mei aestu refri-
gerium unicum avectum ab Arcto rediens inveni. Itaque
tametsi Romam, tuam propriam et communem omnium, mihi
vero ante omnes semper tunc autem et propter se ipsam et
propter te gemino desiderio exoptatam patriam, petiisses, tamen 10
consequendi difficultas moestum atque deiectum animum
habebat; ut, cum ubique exul mihi sine te videar, tum pre-
sertim anxius atque amore ardens et Romam tibi inviderem, et
te Romae. Quo in statu, eadem illa iuvenilem animum frenante
fortuna, pauci anni, quibus ad invicem sic distracti viximus, 15

multorum apud me vicem saeculorum tenuerunt. Veni tandem, ut audisti, hieme, bello pelagoque tonantibus ; omnes nempe difficultates fregit amor, utque ait Maro : ‘Vicit iter durum pietas.’ Dumque suum venerabile ac per dulce obiectum quaerunt oculi, nulla maris fastidia stomachus talium licet impatientissimus natura, nullam brumae terraeque duri-
20 tiem corpus, nullas periculorum minas animus sensit. Sic ad te enim totus totaque mente pergebam, ut te unum cogitans praesentia non viderem ; te invento, nulla mihi longae viae
25 memoria superesset.

Ecce autem nunc eundem illa laqueum, aliorum licet, obvertit, ut me Romam petente, te Vasconia et occidui litoris extrema possideant, et tum maxime distrahamur, dum maxime te praesentem cuperem, omnis meae gloriae summum decus.
 30 Sed sic eunt fere vota mortalium, ut quod vehementius cupiunt, aegrius assequantur. Ceterum, ut meliore tui parte illic in tempore praesens sis, scito me laureae Delphicae cupidine, quae olim clarorum Caesarum et sacrorum vatum singulare et praecipuum votum fuit, nunc vel spernitur vel
 35 nescitur, mihi sane noctes plurimas insomnes fecit, et de qua saepe multa tecum egi ; quamque cum me tantillum certatim duae maximae urbes exposcerent, Roma atque Parisius, altera mundi caput et urbium regina, nutrix altera nostri temporis studiorum, post varias deliberationes ad extremum non alibi
 40 quam Romae super cineribus antiquorum vatum inque illorum sede percipere, ingenti ante alios fratre tuo suasore et consultore, disposui, hoc ipso die iter aggredi. In quo plusculum temporis exigitur ; adeundus enim rex, videnda Parthenope, inde iter erit Romam. Illic aliquot dierum moram video,
 45 denique nisi fallit estimatio, Paschali die a. d. vi. Idus Aprilis in Capitolio res agetur. Quaeris quo hic labor, hoc studium, haec cura ? An doctiorem an meliorem factura sit laurea ? Notiorem forte et plurium invidiae expositum ; scientiae autem et virtutis sedes est animus. Ibique non in frondosis
 50 ramis, avicularum more, nidificant. Quorsum igitur hic

frondium apparatus ? Quid respondeam quaeris ? Quid putas ? nisi illud sapientis Hebraeorum : ‘Vanitas vanitatum et omnia vanitas.’ Sed sic sunt mores hominum. Tu vale et fave nati oris adsis animo. xv. Kalendas Martias. Avinione [1341].

Barbato Sulmonensi. Fam. iv. 8.

IDIBVS Aprilis anno aetatis huius ultimae 1341 in Capitolio Romano magna populi frequentia et ingenti gaudio peractum est, quod nudiustertius de me rex apud Neapolim decreverat. Vrsus Anguillariae comes ac senator, praealti vir ingenii, regio iudicio probatum laureis frondibus insignivit. 5 Manus regia defuit, sed non auctoritas nec maiestas. Illa non mihi soli sed omnibus praesens fuit. Defuerunt oculi tui atque aures, animus enim assidue tecum est. Defuit magnanimus Iohannes, quem a rege transmissum et miro studio festinante praeter Aniam excepere Hernicorum insidiae, quas eum 10 evasisse gaudeo, licet exspectatus in tempore non adisset. Cetera supra spem et supra fidem successisse noveris. At ut recenti experimento cognoscerem, quam semper laetis iuncta sint tristia, vix moenia urbis egressi ego cum his, qui me terra et pelago secuti erant, in latronum armatas manus incidimus ; 15 e quibus ut liberati et Romam redire compulsi fuimus, quantusque ibi ob hanc causam populi motus, et ut die postero certiori armatorum fulti praesidio discessimus ; ac ceteros viae casus si explicare tentavero, longa erat historia. Cuncta igitur ex latore praesentium cognosces. Vale. Pisis, ii. Kalendas 20 Maias [1341].

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. iv. 9.

ROMA rediens diutius exoptatae laureae meae compos et velut victor laureati cognomen referens, quod gavisuro tibi verecunde nuntiatum velim, hodierno die, quod tibi ad gaudium quoque significo, ductu et auspiciis amicorum tuorum De Corriggia, Parmam, unde, ut scis, arcebamus, 5

ingressus sum, hoc eodem die sibi ipsi restitutam urbem, pulso
 hinc praesidio tyrannorum, in quam repente mutata rerum
 facie atque incredibili gaudio liberatae plebis, [pax,] libertas
 et iustitia rediere. Hic ergo precibus eorum victus, quibus
 10 veniam tuam accessuram ipsi sperant et ego non dubito,
 aestatem agere in animum induxi. Iurant enim se praesentia
 mea admodum egere, quod indulgentiae non necessitatis esse
 certum est. Cui enim usui in hoc statu rerum sim? Non ego
 urbanis strepitibus, sed silvestribus silentiis delector, non legum
 15 aut armorum curis, sed solitudini et otio natus sum. Ipsi qui-
 dem voti mei consciī miram mihi quietem pollicentur, cum
 fragor hic et ardor laetitiae gestientis assiduitate tepuerit.
 Quidquid erit, mos gerendus fuit benigne precantibus. Hiemis
 initio me videbis; ita dico, nisi vel tibi citius vel fortunae serius
 20 placuerit. Vale. x. Kalendas Iunii [1341].

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. iv. 12.

VRGET dolor, hortatur caritas ut scribam aliquid; sola
 desperatio profectus dehortatur. Credo enim recentis-
 simum adhuc animi tui vulnus talibus auxiliis non egere;
 vincet dolor, vincet amor, cedet desperatio. Insitae devo-
 5 tionis imperio | damnatum saepius et abiectum revertor ad
 calamum. Sic enim, etsi nihil amplius, tantisper evaporabit
 iste, qui me intus urit et praegravat, calamitosae mentis
 affectus; atque utinam maerori tuo non intempestivus et
 importunus consolator accesserim . . . [P. expects that his letter
 10 will renew the Cardinal's grief.]

Nunquam etenim casum tuum verbis extenuare tentabo;
 illud potius fatebor, nullum ex omnibus quos ego quidem
 viderim, de quibus audierim aut legerim, plus unius morte
 fratris amisisse . . . [He reminds Giovanni that his separation
 15 from his brother is only temporary, and that even in life Giacomo
 was often separated from him.] Iam ille procul a patria genitus
 et sub illo gloriosissimo patris exilio productus in lucem, primos

vagitus edidit in terra longinqua, spectataeque indolis puer tenerioris vitae annos vel sine te, vel si tecum egit, ea tamen erat amborum aetas, quae nec veri iudicii capax est et solidi ²⁰ amoris fundamenta non recipit. Ita vel semper eatenus absens fuit, vel absenti simillimus. Mox ubi adolescentiae fines attigit, incredibili quodam amore litterarum, quarum haud temere quisquam fuit appetentior, nunc per Italianam, nunc per Gallias longe lateque peregrinatus est. Ita dum anhelans ac per di- ²⁵ versa terrarum generosam sitim satagens extingue, omnibus ferme studiorum fontibus immergitur, usque ad virilem aetatem spontaneum ipse sibi indixit exilium. Post haec, sola virtutis admiratione facillime dispensante, ante annos ad episcopatum est provectus, quem sic gessit ut tantum virum ³⁰ non altiori solio sedentem cernere cunctos bonos puderet, praeter eum ipsum, qui ab omni ambitionis aut avaritiae ardore liberrimus, et sorte sua laetus, episcopalem gradum insigniter honestabat; atque altiorem non modo non optabat ascensum, quin potius detestabatur atque oderat, et velut ³⁵ praecipitii sedem illud supremae fortunae fastigium perhorrebat.

Cuius rei cum totius vitae tenor atque unus semper secretioris textus eloquii, in quo celsum illum ac tranquillum animum videbamus, tum praecipue testis est gravitatis et ⁴⁰ modestiae contemptusque terrenarum rerum plena epistola, quam manu propria novissimis vitae suae temporibus ad te scripsit; quamque dum relego, nunquam sine iucundis lacrimis facio. Est enim apud me, quem illius et custodia et responso dignum credidisti; nunc etiam et praesentem ⁴⁵ spectare et vivas voces audire mihi videor, nec magnopere ulla requirere philosophorum scholas, tam plene ibi paucissimis verbis absolvit, quae ad sobrietatem pertinent et ad beatam vitam. Atque inter cetera, mirum dictu, cum de eo attollendo altius assidue ageretur, religiosissimo iureiurando interposito ⁵⁰ affirmat se supra quam credi posset rebus suis esse contentum nec ullo pacto altius ascensurum, et in quo tunc erat statu

mori se non sperare tantum, sed optare. Ascendisset autem vel invitus, quo eum et sanguinis claritas et merita trahebant, 55 nisi olim, quae mentes curialium possidet, obstitisset invidia; et nunc postquam ea iam gloriae ac virtuti cesserat, virentissimae iuventutis cursum medio calle mors obvia paevertisset.

Sed ad ordinem revertor. Factus Episcopus, commissi munieris exactissimam curam habens, te quam primum relicto, 60 ad sedem propriam maturavit; nec eum tanta rerum locorumque mutatio exterruit. Inter Romanas opes ac delicias enutritus, ad Pyrenaeos saltus serenissima fronte et aequissimo animo transivit, ita ut adventu eius non tam sua quam locorum facies mutata, nec tam ipse in Vasconia, quam Vasconia 65 omnis in Italiam transisse videretur. Quod iter ego secum egi, et me felicem recordatio sola facit, dum memini et mansuetudinem in ea fortuna et humilitatem in illis tot naturae dotibus et honestatem in ea specie corporis admirandam.

Denique dum in animum redit illa caerimoniarum omnium 70 iugis integritas atque illa iuvenis pontificis optanda potius senibus quam speranda gravitas. Sicubi errantem audieris interrumpe. Toto quidem illo tempore germanum amantissimum non vidisti, at inde rediens substitit fortasse usurus aliquando fratris optatissimo convictu; sperasse quidem id illum 75 reor. Nam optasse certus sum, sed ea quae actus hominum dispensat, domina prohibuit fortuna. Siquidem et domus et patriae laboribus ac vocibus excitatus, Romam coactus est petere; quo et ego, qui tunc longe aberam, ipsum ut scis dulciter evocantem, te vix tandem permittente, secutus sum. 80 Credo id agente Deo, ut geminae virtutis mirator ac testis pace belloque illius providentissimi pectoris consiliis interessem.

Septennio in patria exacto ea pietate eaque animi constantia, ut reliquiarum suarum illum unicum servatorem Roma recognoscet, et quod in cineres non tota corruerit, illius etiam nunc 85 cineribus se debere fateatur, ad conspectum tuum novissime remeavit. Neque amplius substitit quam ut sibi supremum ave simul et vale diceret. Illico enim et desertae sedis

viduitatem miseratus et solitudinis avidus, quam diuturnis populorum concursibus compensare decreverat, aliquando sibi ipsi victurus, qui patriae vixerat et amicis, rursus ad episcopatum suum sese contulit, ubi multa cum honestate degens et sicut antea ceterorum, sic tunc sui ipsius victor, vitam suam Deo et hominibus exemplariter commendavit. Anno ibi tandem vix peracto, iuvenis admodum, ab huius vitae tempestatibus ad quietis portum et ad feliciora regna translatus 95 est.

Recognosce mecum singula, pater optime, nec de germano colloqui pigeat cum illo, qui in fratre tuo decus suum sibi praereptum luget; et tamen, quod infantibus prolapsis nutrices solent, post tam gravem casum animo suo moerenti 100 haec verborum adminicula qualiacunque conquirit. Recense mecum igitur fraternalae vitae tempus universum; aetatis illum angustissimam portiunculam tecum exegisse, teque germanam eius dulcedinem semper in transitu et vix summis, ut aiunt, labiis degustasse fateberis. Et si hactenus absentem non luxisti 105 iam tandem lugere desinito. . . . [He reminds Giovanni of the consolations of the Christian faith.] Vale. [Parma], Nonis Ianuarii [1342].

Barbato Sulmonensi. Fam. v. I.

QVOD verebar accidit, quod timebam patior; in dolorem metus, vota in gemitum abidere. Non multo antequam praesagirem, deseruit nos inclitus ille rex noster, cuius etsi matura aetas esset, tamen peracerba mors est. Et heu, me miserum, Barbate optime, quam vereor, ne illa quoque prae- 5 sagia confirmet eventus, quae mihi suggerit anxius et malorum suorum semper nimis certus vates animus meus; ita me reginae iunioris novique regis adolescentia, ita me reginae alterius aetas ac propositum, ita me tandem territant aulicorum ingenia et mores. Mendax hic utinam sim propheta; sed 10 agnos duos multorum custodiae luporum creditos video regnumque sine rege. Nam quid ego eum, qui ab alio regitur,

regem dicam multorumque saevitiae expositum? Itaque si,
 quo die Plato rebus humanis excessit, sol coelo cecidisse visus
 15 est, quid illo moriente videatur, qui et Plato alter ingenio fuit,
 et regum nulli aut sapientia secundus aut gloria, cuius praeterea
 mors tam multis hinc inde periculis viam fecit? Secundet
 haec omnipotens Deus et sollicitudinem meam piam magis
 quam necessariam rebus probet. At ut aliis cuncta supra spem
 20 eveniant, et metus iste supervacuus fuerit.

Mihi tamen, amice, quis consulet, aut quis medebitur dolori
 meo? Cui de cetero vigilabo, cui quantulumcunque hoc
 ingenium aut studium consecrabo? Quis spes collapsas erget?
 Quis torpem animum excitabit? Duos ingenii duces habui,
 25 utrumque mihi annus hic abstulit, et de altero quidem nuper
 dum adhuc essem in Italia, utrobique consortem fletus idoneum
 quaerens, nostro cum Laelio questus sum; de hoc hodie
 tecum queror querarque dum vixero; et qui solaris alias inter-
 dum soleo, nunc qua me ipsum ratione vel oratione consoler
 30 non invenio. Hinc ergo consolandi desperatio, hinc flendi
 pudor, hinc ad utrumlibet stili diffidentia, sed supra omnia
 illico te videndi spes silentium iubet. Parebo, tecum prope-
 diem fleturus ex commodo. Haec interea tibi flens ad fontem
 Sorgiae dictabam, notum procellarum animi mei portum, quo
 35 heri ad vesperam solus fugi, cum mane Rhodani ad ripam rumor
maestissimus me invenisset. Vale. IIII. Kalendas Junii [1343].

Iohanni Columniae Cardinali. Fam. v. 3.

VT fidem frangerem, et tibi utile et mihi prope necessarium
 fuit. Pollicitus me maritimo itinere profecturum, non
 aliam ob causam nisi quia vulgo iam persuasum est expeditius
 ac citius iri pelago quam terris, navim concenderam apud
 5 Nicaeam Vari, quae prima Italicarum urbium ab occasu est,
 et ad Monoeci portum coelo iam stellante perveneram. Irasci
 tacitus coepi. Nam illic die postero inviti mansimus, saepe
 nequidquam retentato abitu; postridie a^{ncipiti} tempestate

funem solvimus, et die toto iactati fluctibus ad Mauritiis portum vix intempesta nocte pervenimus. Itaque castrum 10 ingredi non fuit; litoreum hospitium, nauticum cubile sortitus, coenam ut fames condiret, somnum ut lassitudini deberem, ibi indignari altius et ludos maris agnoscere. Quid multa? Variis per noctem consiliis agitatis, ad auroram statui praeferre terrestrem duritiem aequoreae servituti . . .¹⁵
[He continues the account of his journey by land.]

Per Pisas, relictâ ad laevam Florentia, Senas atque inde Perusium veni; inde Tudertum, ubi a Claravallensibus tuis magno cum gaudio exceptus, per Narniam ipsis ducibus Romam ingredior quarto Nonas Octobris. Et iam bona pars 20 noctis erat; ita me hoc tempore nocturnum viatorem festinatio praeceps fecit. Visum est tamen magnanimum patrem tuum, priusquam me quieti traderem, invisere. Deus bone! quae maiestas hominis, quae vox, quae frons, quae facies, quis habitus, quae in illa aetate vis animi, quod corporis robur!²⁵ Iulum Caesarem aut Africanum spectare mihi visus sum, nisi quia utroque multum iste longaevior, et tamen idem prorsus aspectu, qui ante septennium erat, dum eum Romae iterum dimisi, vel qui ante annos duodecim, dum eum apud Avignonem Rhodani primum vidi. Mirum et paene incredibile! Vir 30 unus Roma senescente non senescit. Pauca ibi (nam seminudum et iam in cubiculum euntem illum repereram) de te tuisque rebus affectu patrio percontatus est; cetera in diem posterum reieci. Illum diem a mane ad vesperam secum egi, cuius ne una quidem hora in silentio acta est. Sed de 35 reliquis coram. Mirum in modum exhilaratus est adventu meo, sperans, ut aiebat, amicos vestros per industriam meam finem carceris ac miseriae reperturos; quam sensis spem falsam esse doleo.

Ne enim te longius traham, Roma digressus Neapolim 40 veni. Reginas adii et reginarum consilio interfui. Pro pudor, quale monstrum! Auferat ab Italico coelo Deus genus hoc pestis. Putabam Christum apud Memphim et Babylonem

Meccamque contemni. Compatrior tibi, mea nobilis Par-
 45 thenope. Vere tu harum quaelibet facta es. Nulla pietas,
 nulla veritas, nulla fides; horrendum ~~tripes~~^{animal}, nudis
 pedibus, operto capite, paupertate superbum, marcidum
 deliciis vidi; homunculum vulsum ac rubicundum, obesis
 clunibus, inopi vix pallio cinctum, et bonam corporis partem
 50 de industria retegentem; atque in hoc habitu non solum tuos
 sed Romani quoque Pontificis affatus, velut ex alta sanctitatis
 suae specula insolentissime contemnentem. Nec miratus sum;
 radicatam in auro superbiam secum fert. Multum enim, ut
 omnium fama est, arca eius et toga dissentunt; ac ne sacrum
 55 nomen ignores, Robertus dicitur; in illius Roberti serenissimi
 nuper regis locum, quod unum decus aetatis nostrae fuerat,
 aeternum dedecus Robertus iste surrexit. Iam minus incredi-
 bile putabo e sepulti hominis medulla nasci posse serpentem,
 quoniam a sepulchro regio aspis haec surda prosiluit. O su-
 60 perum pudor! quisnam solium tuum invasit, regum optime?
 Sed haec fortunae fides est, res humanas vertit pariter et
 evertit. Non fuit satis mundo solem abstulisse, nisi atras
 insuper tenebras attulisset, et erepto rege unico non alter
 qualibet virtute inferior succederet, sed haec atrox et immitis
 65 bellua. . . . [The denunciation of Robert is continued.]

Multi enim sunt tales, et fere omnes praeter unum Cavalli-
 censis Ecclesiae praeulem, Philippum, qui solus pro deserta
 iustitia partes facit. Sed quid faciat agnus unicus in tanto
 luporum agmine? Quid faciat nisi quamprimum fugiat, si
 70 possit, et ovile suum repetat? Quod ipsum meditari arbitror,
 sed miseratione regni labentis et ultimae obsecrationis regiae
 memoria ceu geminis compedibus detinetur. . . . [He asks for
 further instruction on matters about which he has written in a
 'more secret' letter.] Ter, nisi fallor, aut quater ipsum car-
 75 ceris limen ingressus (Capuanae castrum dicitur), amicos tuos
 vidi, nil nisi de te sperantes, quoniam iustitiam sibi suam, in
 qua summum praesidium esse debuerat, damnosam hactenus
 experti sunt; et profecto periculosissimum est sub iniusto

iudice iustum causam fovere. . . . [Their wealth increases the bitterness of their enemies.]

80

Vidi eos in compedibus, O rem indignam ! O instabilem ac praecipitem fortunae rotam ! Ceterum ut nihil illa captivitate deformius, sic captivorum animis nihil excelsius ; salvo te, spem optimam rerum suarum habent. Ego quod sperem nihil habeo, nisi aliqua vis maior intervenerit ; si enim consilii 85 clementiam exspectant, actum est ; squalore carceris consumentur. Regina senior, coniunx olim regia, nunc miserrima viduarum, miseretur, ut dicit, nihil amplius se posse confirmans. Cleopatra cum Ptolomaeo suo misereri possent, si Photinus Achillasque permitterent. Ego haec video, quo ani- 90 mo ne dici quidem opus est. Sed quid agam ? Patiendum est, et quamvis responsi certus, responsum tamen etiam nunc iussus exspecto. Vale. Neapoli, III. Kalendas Decembris [1343].

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. v. 5.

[Insignem tempestatem describens . . .] [After the manner of the ancient poets, he might one day write a poem on this storm at Naples.]

. . . Praevenerat quidem, mirum dictu, instantis mali fama, religioso quodam episcopo astrorumque curioso e vicina qua- 5 dam insula aliquot ante diebus periculum nuntiante ; sed ut fere nunquam coniecturis ad verum penetrant, non maritimum sed terrestrem motum praedixerat, ruiturumque Neapoli a. d. septimum Kalendas Decembris 1343. Et usque adeo miris cuncta terroribus impleverat, ut magna pars populi peccatorum 10 poenitentiae et sub mortem mutando vitae statui intenta, omne aliud negotii genus abiiceret, multis contra vanos metus irridentibus, eoque magis quod per eos dies non parvis quibus- dam tempestatibus in die erratum, et tota vaticinii fides absumpta videbatur. Ego nec spei plenus nec timoris, ut ad 15 neutrum prolapsus, sic ad utrumlibet pronus eram, sed pronior ad timorem. Nam et fere hoc in rebus est, ut segnius sperata

quam formidata proveniant, et multas eo tempore coeli
 minas audieram ac videram, quae gelidis in regionibus habitare
 20 solito, monstri instar, hiemali frigore in metum ac paene in
 religionem verteram [sic].

Quid plura? Nox aderat, quam lux suspecta sequebatur;
 trepidula feminarum turba, periculi potius quam pudoris
 memor, per vicos plateasque discurrere, atque ad ubera pressis
 25 infantibus supplex et lacrimosa templorum liminibus obversari.
 Trepidatione igitur publica permotus, prima vespera domum
 redii. Solito quidem tranquillus coelum erat; qua fiducia,
 qui mecum sunt, maturius in cubiculum concesserant. Mihi
 exspectare visum est contemplaturo qua luna fronte occumbe-
 30 ret; erat autem, nisi fallor, septima. Instigiatur ad occasum
 spectantibus fenestris, donec eam obvolutam nimbis et moesta
 facie ante medium noctis proximus mons abscondit. Tum
 demum et ego lectulum meum dilatum soporem excepturus
 ingredior.

35 Vix dum totus obdormieram, cum repente horribili fragore
 non tantum fenestrae sed murus ipse, saxea testudine solidus,
 ab imis fundamentis impulsus tremit; et nocturnum lumen,
 sopito mihi vigilare solitum, extinguitur. Excutimur stratis
 et in locum somni vicinae metus mortis ingreditur. Ecce
 40 autem, dum inter tenebras alter alterum quaerit, et beneficio
 dirae lucis ostensos trepidis invicem nos vocibus cohortamur,
 religiosi viri quorum in aedibus habitamus, et sanctissimus
 eorum prior, quem honoris causa nomino, David, qui ex
 more ad nocturnas Christi laudes surgebant, repentino malo
 45 territi, crucibusque ac sanctorum reliquiis armati, et alta voce
 Dei misericordiam implorantes, thalamum, ubi ego eram,
 praelatis facibus irrumpunt. Revixi tantisper. Omnes inde
 ad ecclesiam pergitimus, ibique effusi multis cum gemitibus
 pernoctamus, cum iam iam ad futurum finem et ruitura circum-
 50 omnia crederemus.

Longius eam, si omnem illius infernae noctis horrorem verbis
 amplecti velim; et quamvis longe citra verum sistat, veri

tamen fidem transcendet oratio. Quis imber, qui venti, quae fulmina, quis coeli fragor, quis terrarum tremor, quis mugitus pelagi, quis hominum ululatus! Cum in hoc statu quasi 55 magicis carminibus geminato noctis spatio ad auroram vix tandem venissemus, et diei vicinitas magis coniectura animi quam lucis indicio appareret, amicti sacerdotes sacra altaribus instaurant, et nos coelum nondum intueri ausi, in uda et nuda circum tellure prosternimur.⁶⁰

Ceterum cum iam haud dubia, licet nocti simillima, dies esset, et omnis repente clamor hominum superiore urbis parte siluissest, sed de litorea regione magis magisque crebresceret, neque percontando quid rei esset appareret, desperatione, ut fit, in audaciam versa, equos ascendimus et ad portum visuri 65 moriturique descendimus. Dii boni, quando unquam tale aliquid auditum est! Decrepiti nautae rem sine exemplo asserunt. In ipso portus medio foedum ac triste naufragium, sparsos aequore miseros, et vicinam terram manibus prendere molientes unda saxis impegerat, et ceu totidem tenera ova 70 disiecerat; totum elisis et adhuc palpitantibus refertum cadaveribus litus erat. Huic cerebrum, illi praecordia fluebant. Haec inter, tantus virorum strepitus tantaque mulierum eiulatio, ut maris coelique fragorem vincerent. Accedebat aedium ruina, quarum multas funditus violentior fluctus 75 evertit, cui nullus die illo limes, nulla vel humanae manus reverentia vel naturae; statutos fines et litora consueta transcederat. Et tam moles illa ingens studio hominum aggesta, quae ‘objectu laterum’, ut ait Maro, ‘portum efficit,’ quam omnis vicina mari regio undis obruta, et ubi planum 80 siccis pedibus iter fuerat, periculosa navigatio facta erat. . . .

¹¹ [He describes the appearance of the sea, and the passage of the Queen through the crowd.]

Tres Massiliensium longas naves, quas galeas vocant, quae Cypro reduces, et tot maria emensae mane navigaturae in 85 anchoris stabant, illacrimantibus universis, nemine autem ferre auxilium valente, fluctibus mergi, nautarum atque vectorum

ne uno quidem salvo, vidimus. Aliae quoque maiores et omnis generis naves, quae in portum velut in arcem tutissimam
 90 confugerant, pari fine consumptae sunt. Vna de tam multis sola superfuit onerata latronibus, quibus iustum supplicium remissum erat, ut in expeditionem Siculam mitterentur, et huic gladio erepti in illos inciderent. Horum ingens quaedam et fortissima et taurinis coriis armata navis, cum usque sub
 95 occasum solis vim pelagi pertulisset, tandem et ipsa vinci coeperat. Illi vero undique fatiscenti carinae, supremis urgentibus periculis, occurrunt. Erant enim, ut aiunt, quadrincenti numero, turba classi, nedum navigio, sufficiens, et erant viribus pollentes, et qui a morte liberati nil iam gravius formidarent,
 100 eoque pertinacius atque animosius obsisterent. Itaque dum differunt, sensimque merguntur, usque ad proximae noctis partem naufragium traxere; tum victi, desertis armis, in superiora navis eruperant. Dum ecce praeter spem et coeli vultus serenari et fessi maris ira lentescere coepit. Ita cunctis
 105 pereuntibus, pessimi omnium evasere, sive quia ‘servat multos fortuna nocentes’, ut Lucanus, sive quia ‘diis aliter visum est’, ut Virgilius ait, sive ut intelligi detur, illos inter mortis pericula tutiores quibus vilior vita est.

Haec hesternae historiae summa est, quae ne frustra digitos
 110 meos auresque tuas detinuerit, quamvis humanorum discriminum amplam praeferat materiam, de quibus multa quidem saepe, sed pro rei qualitate pauca, semper a sapientibus dici solent, hoc unum mihi certe praestiterit, ut te obsecrem, ne
 115 me unquam amplius vitam ventis ac fluctibus credere iubeas.
 Hoc enim est in quo neque tibi neque Romano Pontifici neque patri meo, si ad lucem redeat, parere velim. . . . [He dilates on the dangers of the sea.] Vale. Neapoli, vi. Kalendas Decembris
 [1343].

Iohanni Columnae Cardinali. Fam. v. 6.

ASOLVI gravibus occupationum laqueis sperabam, et successisset, ut arbitror, nisi constrictos pietate animos serpens ille tabificus resolvisset. Non ore Psyllus promptius quam ego aure virus agnovi. Insti occurere, sed iam vereor ne letale malum sit; retentabo tamen, donec ulla spei reliquiae 5 supersunt. Et forsitan heri ad vesperam vel repulsae gratiam meruissem, nisi consilium diremisset festinata nox, et domum maturius coegisset immedicabilis aegritudo huius urbis, quae multis in rebus praeclarissima, unum hoc obscurum habet et obscoenum et inveteratum malum. Nocturnum iter hic, non 10 secus atque inter densissimas silvas anceps ac periculis plenum est, obsidentibus vias nobilibus adolescentibus armatis, quorum licentiam nulla unquam vel patrum disciplina vel magistratum auctoritas vel regum maiestas atque imperium frenare quivit.

Quid autem miri est, si quid per umbram noctis nullo teste 15 petulantius audeant, cum, luce media, inspectantibus regibus ac populo, infamis ille gladiatorius ludus in urbe Itala celebretur plusquam barbarica feritate? Vbi more pecudum sanguis humanus funditur et saepe plaudentibus insanorum cuneis, sub oculis miserorum parentum infelices filii iugulantur, 20 iuguloque gladium cunctantius excepsisse infamia summa est, quasi pro republica aut pro aeternae vitae praemiis certetur. Illuc ego pridem ignarus omnium ductus sum ad locum urbi contiguum, quem Carbonariam vocant, non indigno vocabulo, ubi scilicet ad mortis incudem cruentos fabros denigrat tan- 25 torum scelerum officina. Aderat Regina et Andreas Regulus, puer alti animi, si unquam dilatum diadema suscepit. Aderat omnis Neapolitana militia, qua nulla comptior, nulla decentior. Vulgus certatim omne confluxerat. Ego itaque tanto concursu, tantaque clarorum hominum intentione suspensus, ut grande 30 aliquid visurus, oculos intenderam; dum repente, quasi laetum quiddam accidisset, plausus inenarrabilis ad coelum tollitur.

Circumspicio et ecce formosissimus adolescens rigido mucrone
transfossus ante pedes meos corruit. Obstupui, et toto corpore
35 cohorrescens, equo calcaribus adacto, teturum atque tartareum
spectaculum effugi, comitum fraudem, spectatorum saevitiam
et lusorum infamiam identidem accusans. Haec gemina pestis,
pater optime, quasi per manus tradita a maioribus ad posteros
semper crescendo pervenit, eoque progressa est ut iam dignitatis
40 ac libertatis nomen habeat licentia delinquendi.

Sed de his hactenus. Nam et tragicum opus est, et multa
super his inter obstinatos cives iam perdidi. Minime vero
mirabere amicos tuos, tanto avaritiae praemio proposito, in ea
urbe vinctos esse, in qua hominem innoxium occidere ludus est ;
45 quam licet unam ex omnibus Virgilius dulcem vocat, non inique
tamen, ut nunc est, Bistonia notasset infamia. ‘ Heu fuge
crudeles terras, fuge litus avarum ! ’ Ego quidem et de hac,
pater, dictum illud accipiam, et nisi aliud audieris, ante triduum
vel infectis rebus effugisse me credito in Cisalpinam primum
50 Galliam, inde in Transalpinam, et ad te, qui omne tempus,
omne mihi praeter aequoreum delectabile iter facis. Vale.
Neapoli, Kalendis Decembribus [1343].

Barbato Sulmonensi. Fam. v. 10.

VT, more nostro, fortunas laboresque meos tecum partiar
est animus. Ad Parmam bellum constitit, ut nosti.
Circumsistimur et magnis non Liguriae tantum sed prope
totius Italiae motibus intra unius urbis ambitum coarctamur ;
5 non quod animus nostris [ad pugnam] desit, quod saepius ani-
mosa eruptione testati sunt, sed ea hostis astutia est, ut nec pacis
nec proelii viam pandat. Durando vincere et debilitare animos
lentae obsidionis taedio confidit. Itaque iam saepe variante
fortuna idem ipse qui obsidebat obsessus est ; neandum certus
10 est exitus. Ceterum summis utrinque viribus res agitur, et,
nisi fallor augurio, summus fatorum dies acceleratur. Nutat
animus ac neutram in partem totus inclinat ; ex quo declinare

studet et inanem spem et supervacuum pavorem. In hoc statu non iam paucorum nos dierum, sed multorum mensium premit obsidio, inter calamitates bellicas haud ultima.

15

His ita se habentibus, subiit nuper desiderium libertatis, quam omnibus votis exposcere, omni studio amplecti, postremo, quam terra marique fugientem sequi soleo. Subierat iam ante cupiditas Transalpini Heliconis, quoniam Italus Helicon bellis ardebat; ita ergo hinc odio, hinc desiderio agebar. Sed quid 20 agerem? Quae dicit ad occasum via, prorsus inaccessibilis facta erat. Vertor ad orientem; etsi enim omnia hostium plena essent, tutior tamen brevis transitus, quam ille ingens per Etruriam circuitus visus est. Quid multa? Inter hostium stationes cum paucis egressus septimo Kal. Martias 25 abeunte sole carpo iter. Cum prope Rhegium, inimicam urbem, sub nocte media pervenissem, repente latronum manus ex insidiis erumpit, magno mortem clamore denuntians. Non erat consilii facultas; tempus, locus et circumfusus hostis suspectissima omnia faciebant; pauci inermes, improvidi quid 30 adversus plures armatos ad scelus instructos facerent? Vna in fuga atque in tenebris spes erat. 'Diffugiant comites, et nocte teguntur opaca.'

Ego etiam, fateor, me ipsum morti et circumsonantibus telis eripui; dumque iam omne discrimen evasisse crederem (quid, 35 oro te, usquam tutum homini est?) seu fossae seu trunci forte seu saxi obice, nihil enim prorsus cernere sinebat illius nubilosae caecaeque noctis obscuritas, equus ipse fidissimus, vector meus, cernuus ad terram ruit tanto impetu ut confractus ac paene inanimatus sim. Colligo tamen in extremis animum et as- 40 surgo; quique, multis iam diebus interiectis, ad os manum referre nondum valeo, tunc sublevante metu in equum resilui. E sociis pars domum rediit, pars vago errore circumacta incepitum non deseruit. Duo viarum duces, coeli ac terrarum indiciis amissis, fessi ac trepidi inter avia subsistere coegerunt. Vnde, 45 ne quid terrificum deasset, inimicorum vigilum voces vicinis nescio quibus ex moenibus audiebantur. Ad haec et saeva

grandine mixtus imber accesserat, et inter crebra tonitrua famosioris assiduus timor mortis.

50 Longa erit historia, si eam per singula. Illam ergo vere Tartaream noctem sub dio humique iacentes egimus, cum interea magis magisque laesi brachii tumor ac dolor ingravesceret. Non herbosus caespites ad somnum, non frondosae ramus arboris aut cavae rupis fornix, sed nuda tellus, aer turbidus, et 55 iratus Iupiter, hominum simul ac ferarum metus, atque inter tot aspera corpus invalidum. Vnum, quod miraberis forsan et misereberis, solatii genus in tantis difficultatibus fuit ; equis medio calle transversis pro tentorio usi sumus, et illorum terga procellis obiecimus, qui paulo ante frementes ac rapidi, mox 60 taciti et immobiles, non sine quodam quasi miseriae suaे sensu, geminum nocte illa nobis obsequium praebuerunt. Sic ad auroram laborando ac trepidando pervenimus. Vbi primum semitam inter vepres vicinae lucis dubius fulgor ostendit, praepropere suspecta loca reliquimus, et amici oppidi, Scandia- 65 num vocant, moenibus excepti, didicimus nocte tota magnam equitum ac peditum catervam circa muros, ut nos exciperent in insidiis, latuisse, pauloque ante nostrum adventum pulsam tempestatibus abiisse. I nunc et negare aude, magnum aliquid esse fortunam, quae et consilia in perniciem et errores in 70 salutem vertere potens est. Ludo tecum, Barbate carissime. De fortuna enim iudicium meum tenes ; formidabile nomen est. Vtcumque se res habeat, profuit error viae, profuit procella, peiora malis evasimus.

Illic ergo cum iam illuxisset, celatum casum meum, non sine 75 multis comitum lacrimis, aperio, et quoniam ne ibi quidem tuta videbatur mora, alligatus pro tempore, montano calle Mutinam, inde luce proxima Bononiam veni. Hic tibi praeter solitum alienis digitis ista perscribo, ne aut meo aut rerum statui fides desit. Circa curam corporis fit, quantum humano ingenio fieri 80 potest ; spes est potius certa quam velox. Aestatis opem medici, ego Dei omnipotentis auxilium exspecto. Interim torpens mihi dextra non obsequitur ; animus fit promptior in adversis. Vale. v. Kalendas Martias, Bononiae [1345].

Clementi VI, Pontifici Maximo. Fam. v. 19.

FEBRIS tuae nuntius, beatissime pater, tremorem membris meis et horrorem attulit. Nec idcirco blandiloquens aut similis dicar illi, de quo Satyricus ait : ‘Flet si lacrimas conspexit amici,’ et iterum : ‘Si dixerit aestuo, sudat,’ sed illi potius qui, ut ait Cicero, de salute populi Romani extimescebat, 5 in qua etiam suam inclusam videbat. Mea quidem ac multorum salus in tua salute fundata est. Non igitur simulatus est tremor, neque enim alieno periculo permovere, sed proprio. Omnes qui de te pendemus et in te speramus, te aegrotante sani forte videmur, sed non sumus. Verum quia tum semper, 10 tum praecipue in hoc statu brevem decet esse sermonem, qui in divinas aures humano ore transfunditur, pauca tibi nunc animo affusus et venerabundus loquar.

Lectum tuum obsessum medicis scio ; hinc prima mihi timendi causa est. Discordant enim de industria, dum pudet 15 novi nihil afferentem alterius haesisse vestigiis. ‘Nec est dubium,’ ut eleganter ait Plinius, ‘omnes istos famam novitate aliqua aucupantes, animas statim nostras negotiari, et in hac sola artium evenire, ut cuicunque se medicum profitenti statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius. Non 20 tamen illud intuemur, adeo blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. Nulla praeterea lex quae puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictae ; discunt periculis nostris et experimenta per mortes agunt, medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est.’ Horum turbam velut inimi- 25 corum aciem, clementissime pater, intuere. Instruat te illius infausti epigrammatis memoria inscribi iubentis in sepulchro hoc solum : ‘Turba medicorum perii.’

In aetatem nostram potissime videtur incidisse illud M. Catonis senis vaticinium, quandoque Graeci ad nos lit- 30 teras suas ac praesertim medicos transmisissent, omnia corrupturos. Sed quia iam sine medicis vivere non audemus, sine quibus tamen innumerabiles nationes forte melius atque salu-

brius vivunt, et populus Romanus aetate florentissima, eodem
 35 teste Plinio, ultra sexcentesimum annum vixit, vnum tibi de
 multis elige, non eloquentia, sed scientia et fide conspicuum.
 Iam enim professionis suae immemores et dumetis propriis exire
 ausi, poetarum nemus et rhetorum campum petunt, et quasi
non curaturi, sed persuasuri circa miserorum grabatulos magno
 40 boatu disputant, atque illis morientibus Hippocraticos nodos
 Tulliano stamine permiscentes, sinistro quamvis eventu super-
 biunt, nec rerum effectibus sed inani verborum elegantia
 gloriantur. Ac ne quid a me hodie fictum medici tui putent,
 quem saepe nomino Plinium, quod is et de medicinis multa
 45 et de medicis plura quam quisquam et veriora diceret, in
 omnibus fere huius epistolae partibus ducem habui. Ipsum
 ergo audiant. ‘Palam,’ inquit, ‘est ut quisque inter istos
loquendo polleat, imperatorem illico vitae nostrae necisque
 fieri.’

50 Sed ego longius quam destinaveram, metu calamum urgente,
 provectus sum. Ut vero iam desinam, medicum non consilio
 sed eloquio pollentem velut insidiatorem vitae, sicarium aut
 veneficum vitare debes. Huic quidem iure optimo dici potest,
 quod loquaci coquo Plautinus ille senex in *Aulularia*: ‘Abi,
 55 opera huc conducta est vestra, non oratio.’ Ad haec et exactam
 tui custodiam et, quae ad salutem corporis miris modis adiuvant,
 spem bonam ac laetum animum habeto, si te, si nos omnes, si
 tecum aegrotantem Ecclesiam salvam cupis. Vale. III. Idus
 Martii [1352].

Iohanni Columnae a San Vito. Fam. vi. 2.

DEAMBVLABAMVS Romae soli; meum quidem obam-
 bulandi peripateticum morem nosti. Placet; naturae
moribusque meis aptissimus est. Ex opinionibus quaedam
 placent, aliae autem minime; non etenim sectas amo, sed
 5 verum. Itaque nunc Peripateticus, nunc Stoicus sum, inter-
 dum Academicus, saepe autem nihil horum, quotiens quidquam

occurrit apud eos, quod yerae ac beatificae fidei adversum suspectumve sit. Ita enim philosophorum sectas amare et approbare permittitur, si a veritate non abhorrent, si nos a nostro principali proposito non avertunt. Quod ubi forte 10 tentaverint, seu ille sit Plato, seu Aristoteles, seu Varro, seu Cicero, libera contumacia contemnatur omnes atque calcentur. Nulla disputationum argutia, nulla verborum lenitas, nulla nominum nos tangat auctoritas. Homines fuerunt; quantum humana inquisitione fieri potuit, et notitia rerum docti et 15 eloquio clari et naturali ingenio felices, sed supremi et ineffabilis obiecti privatione miserabiles; et ut, qui viribus suis fiderent veramque lucem non requirerent, caecorum in morem saepe lapsi, saepe ad lapidem offendentes. Itaque sic illorum miremur ingenia, ut ingenii veneremur auctorem; sic illorum 20 compatiamur erroribus, ut nostrae gratiae gratulemur et cognoscamus nos gratuito sine ullis meritis honoratos praelatosque maioribus ab illo, qui arcanum suum, quod sapientibus abscondit, parvulis revelare dignatus est. . . . [We are to be Christians before everything. Without Christ learning can never 25 bring happiness.]

Haec incidenter, quantum locus iste capere visus est, dixerim. Procedo. Vagabamur pariter in illa urbe tam magna, quae cum propter spatium vacua videatur, populum habet immensum; nec in urbe tantum sed circa urbem vagabamur, 30 aderatque per singulos passus quod linguam atque animum excitaret. . . . [He recalls the historical associations and monuments of the city.]

Sed quo pergo? Possumne tibi in hac parva papyro Romam designare? Profecto si possim, non oportet. Nosti omnia, 35 non quia Romanus civis, sed quia talium in primis rerum curiosissimus ab adolescentia fuisti. Qui enim hodie magis ignari rerum Romanarum sunt quam Romani cives? Invitus dico, nusquam minus Roma cognoscitur quam Romae; qua in re non ignorantiam solam fleo (quamquam quid ignorantia 40 peius est?) sed virtutum fugam exiliumque multarum. Quis |

enim dubitare potest, quin illico surrectura sit, si cooperit se Roma cognoscere?

Sed haec alterius temporis est querela. Solebamus ergo post 45 fatigationem, quam nobis immensa urbs ambita pepererat, saepius ad Thermas Diocletianas subsistere, nonnunquam vero supra testudinem illius magnificentissimae olim domus ascendere, quod et aer salutaris et prospectus liber et silentium ac votiva solitudo nusquam magis. Ibi de negotiis nihil 50 omnino, nihil de re familiari nihilque de republica, quam semel flevisse satis est; et euntibus per moenia fractae urbis, et illic sedentibus ruinarum fragmenta sub oculis erant. Quid ergo? Multus de historiis sermo erat, quas ita partiti videbamur, ut in novis tu, in antiquis ego viderer expertior, et dicantur 55 antiquae quaecumque ante celebratum Romae et veneratum Romanis principibus Christi nomen, novae autem ex illo usque ad hanc aetatem. Multus quoque de illa parte philosophiae quae mores instruit; hinc nacta cognomen. Interdum vero de artibus et de earum auctoribus atque principiis.

60 Itaque die quodam, dum in eam mentionem incidissemus, flagitasti ut dicerem explicate, unde putarem liberales et unde mechanicas initium habuisse, quod carptim ex me audieras. Feci quod iubebas haud duriter, quod hora diei et vacuitas inutilium curarum et ipse locus hortabatur, ut sermonem 65 longiusculum ordirer, et attentio tua rem tibi admodum placere indicio erat. Testatus sum tamen me nihil novum, nihil fere meum dicere, immo vero nihil alienum. Omnia enim undecunque didicimus nostra sunt, nisi forsan abstulerit ea nobis oblivio. Quaeris nunc, ut quod illo die dixi repetam ac 70 litteris mandem. Multa, fateor, dixi, quae si, non mutatis verbis, dicere cupiam, non possim. Redde mihi illum locum, illud otium, illam diem, illam attentionem tuam, illam ingenii mei venam; potero quod unquam potui. Sed mutata sunt omnia, locus abest, dies abiit, otium periit, pro facie tua 75 mutas litteras aspicio. Ingenio meo relictarum a tergo rerum fragor officit, qui adhuc in auribus meis tonat, quamvis ob hoc

ipsum in primis inde diffugerim, ut tibi liberius responderem. Parebo tamen ut potero. Possem te ad antiquos et ad modernos mittere, a quibus quod poscis accipies ; sed ne ita me liberem providisti, dum rogas ut dicam meis verbis, quidquid id est, 80 quod, ut ais, tibi omnia ex ore meo cum gratius, tum clarius sonent. Gratiam habeo, sive ita se res habet, sive ita ut accendas animum dicis. Accipe igitur quod tunc dixi, verbis forte aliis sed eadem profecto sententia.

Verum quid agimus ? Nam et non parva res est, et epistola 85 haec abunde crevit et nondum coepimus, et diei huius extremum est. Vis parumper digitis meis atque oculis tuis parcum ? Differamus quod restat in proximum diem, et laborem et (laborum) epistolam partiamur, nec eadem papyro res diversissimas involvamus. Sed quid rursum cogito ? Quidve policeor tibi diem 90 proximum epistolamque alteram ? Nec diei unius opus est nec epistolare negotium ; librum exigit, quem non prius aggrediar, si tamen curis maioribus non retrahor atque distrahor, quam in solitudinem meam me fortuna revexerit. Ibi enim, non alibi, meus sum ; ibi meus est calamus, qui nunc passim rebellat 95 et recusat imperium, molestissimis occupationibus meis fretus. Ita ille qui ex otio meo iuge negotium habet, ex negotio sibi otium quaerit, et quasi impius servus ac contumax, domini laborem in requiem suam trahit. Vbi vero primum fines meos attigero, suum ipse iugum subeat cogam, et de eo quod quaeris 100 seorsum singulari libro, quid aliorum scriptis, quid meis conjecturis assequor, scribam. Sane ut familiares epistolas ludens et in ipso maxime viarum discursu tumultuque rerum scribere soleo, sic ad scribendum libros solitaria quiete dulcique otio et magno nec interrupto silentio opus est. Vale. II. Kalendas 105 Decembres ; ex itinere. [1338 ?]

Barbato Sulmonensi. Fam. vii. 1.

INTER multifidas quibus obsideor curas illa non ultima est, quam ex rerum tuarum exspectatione concipio. Quid enim mihi Barbato meo clarus? Quid dulcior? Anxia res amor, credula, timida, sollicita, omnia circumspiciens et vana etiam ac secura formidans. Ecce quod semper timui, ecce quod semper scripsi, ecce quod quotidie dicebam, non poterat tam foedum facinus impunitum esse; et est ultio haec aliquanto senior quam putavi. Verte autem, Deus, iram tuam in auctores scelerum et noxia capita digno suppicio feri; parce piis, parce fidelibus. Quid insons meruit plebecula, quid sacra tellus Ausonia? Ecce iam pulvis Italicus gressu quatitur barbarico, et victores olim gentium, nunc heu! vincentium, praeda sumus, sive id peccata nostra meruere, sive iniquum et triste situs aliquod adverso numine nos exercet, sive, in quod magis 15 inclinor, integri, nunc scelestis additi, criminibus plectimur alienis. Sed absit ut Italiae metuam, a qua rebelles potius quod metuant habebunt, dum nuper urbi redditu potestas tribunicia vigebit, et caput nostrum Roma non aegrotabit. Pars Italiae sollicitum habet, illa videlicet quae olim Magna 20 Graecia dicebatur; Brutius, Calaber atque Apulus, nunc Laboris Regio atque olim praepotens Capua, nunc regina urbium Parthenope. In has terras amoenissimas ab asperrimis Danubii ripis praeceps ruit exercitus, et coeli nostri serenitatem foedis nubibus involvit ab Aquilone oriens procella, quae vereor 25 ne, dum responsum tuum operior, cum ingenti fragore detonuerit.

Sic omnia iam in extremum adducta referuntur. Iam Sulmonem primo belli impetu calcatum in ditionem hostium pervenissee fama est. Heu generosum oppidum, tuam et 30 Nasonis patriam, quibus prosequar lamentis ab his hodie possessam, inter quos ille morte gravius putavit exilium! Qui autem adeo miserabiliter non tam de exilio quam de loco

exilii questus est, ut librum non exiguum texeret querelarum, quid dicturus fuisse, si Istri populos et id genus hominum qui, qua vagus Sarmata et arcitenens Getes nivosis oberrant collibus, 35 ad occupandam armis patriam suam venturos ullo tempore praevidisset, ad quos se Caesaris imperio proficisci tam iniquo tulit animo, ut nihil aliud flere, nihil aliud deprecari, nihil aliud loqui posset? Te vero, frater, quid nunc dicere arbitrer ista cernentem, quae nec ego praesentia sine lacrimis audio, nec 40 ille futura sine gemitu cogitasset? O feliora iam saltem Nasonis ossa externa tellure obruta, quam si patriae pyramidis honore condita huius temporis ludibrio servarentur. Iam tranquilliora dixerim sepulchra inter Istrum et Hypanem quam inter Lirim et Vulturem. Illinc barbari magno agmine 45 diffugunt, huc irrumpunt.

At ego, dum dolorem animi sequor, propositum excessi et evehebar longius, nisi me exspectans et crebro interpellans hic nuntius revocasset. Igitur unde discesseram revertor. Magno super te pavore torqueor, sed nihil in me quod ipse noverim 50 consilii est, nihil auxilii; quia tamen plus interdum aliqui possunt quam se posse confidunt, si quid in me opis agnoveris, iure tuo utere. Gratiam, fateor, non mediocrem apud Tribunum, stirpe humili sed excuso virum animo propositoque, et apud populum Romanum habeo, nullis profecto meis meritis; 55 sed Deus mihi malorum odia bonorum benevolentia compensavit; non quod vel illis nocuerim, vel his profuerim, vel malus esse desierim vel sim bonus; sed quia malos odisse, bonos amare disposui, et ab illorum turba ad horum paucitatem saepe transfugere volui, si datum esset, et volo, si dabitur. Si 60 quid igitur in praesenti discrimine apud praefatos Tribunum ac populum prodesse tibi intercessio mea potest, ecce animus et calamus praesto sunt. Est mihi praeterea in longinquu et ab his motibus securu Italiae tractu domus, parva quidem, sed duobus unum animum habentibus nulla domus angusta est. 65 Nullae illam damnosae divitiae, sed [nec] paupertas nec cupiditas, libelli autem innumerabiles inhabitant. Haec modo nos

exspectant, me ab occidente reversurum, quem iam biennio
 abfuisse conqueritur, te ab oriente, si fata cogerint, et si libuerit,
 70 venturum. Quid tibi praeter haec offeram non habeo. Domus
 autem, ad quam invito te, ubi sit nosti, in loco salubri et terrori-
 bus vacuo et pleno gaudiis et studiis opportuno. Tu quidquid
 consilii ceperis, ad felicem exitum Deus applicet. Ego interim
 utinam falsa timuerim / et absentia, quod naturaliter solet,
 75 metum auxerit amantis. Animus quidem meus non quiescat
 donec vel te video vel per litteras accepero te salvum ex his
 tempestatibus enatusse. Vale. iii. Idus Septembbris [1347].

Epist. sine tit., 14.

(fortuna) **D**IV distuli exspectans et materiam et nuntium ; utrumque
 simul affuit, quamvis, ut es tu semper honestorum
 actuum praelargus, ego, etsi ingenii inops, scripturae utique
 non avarus, horum alterum deesse non possit. Adest ecce
 5 nuntius, ultra quam optari idoneus, nihil tibi devotius, nil
 mihi familiarius ; adest scribendi materia, peregrinationis tuae
 rumor longe difficilis, inamoenae, qui mihi iam pridem cala-
 mum suggerebat, nisi quia incertus eram ubinam terrarum
 essem inveniendus ; neque enim aut ipse mihi persuadebam
 10 longas te moras apud inferos exacturum sponte tua, aut omnino
 suspicari poteram te illuc aliter quam coactum cuiuspam
 magnae necessitatis imperio perrexisse. Itaque tuum tacitus
 excusabam iter, quod illa iussisset quae adamantinum saepe
 regum quoque pontificumque cervicibus iugum imponit.

15 Nunc quia incolumem te reversum gaudeo, familiaritate illa,
 quam mihi peperit tua dignatio, fides mea, libet ex te quaerere,
 quid viro optimo cum pessimis locis, quid tibi cum Babylone.
 Fortissimos Romanorum legimus vitare solitos Campaniae Baias,
 apricum licet et salubrem locum, ubi ut exiguum honestatis,
 20 sic saltem voluptatis et laetitiae multum erat; adeo rebus omni-
 bus neglectis uni studio virtutis intenti erant. Si hoc ita est,
 quis non Rhodanum vitet ? Quis, oro, non fugiat Babylonem

et vitiorum simul omnium et laboris ac totius miseriae moestam domum? De quo quidem aliquid nosse debes. Visa loquor, non audita, fato meo pessimo in eas terras puer evectus, cui²⁵ usque ad hanc aetatem indignanti equidem sed fortunae compedibus nescio quibus vincito magnae illic partes aetatis in gemitibus abierunt. Novi expertus, ut nulla ibi pietas, nulla caritas, nulla fides, nulla Dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil aequi, nihil pensi, nihil denique³⁰ vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant. . . .
[*The city is the home of lies and insincerity.*] Res est insuper mundo nota, neque probationis omnino neque sermonis egens.
Vnum et breve et ad reliqua perdiscenda satis efficax inseram,
cui ego ipse qui loquor interfui. Duo simul e conscriptis³⁵ patribus, in quibus orbis terrae et ostium domus Dei velut in cardine volvitur, a palatio Pontificis Maximi densa stipati famulorum acie descendebant; turba ingens exspectantium, quibus ante omnes illa infelix et Deo odiosa civitas plena est, de more surdum illud et praedurum limen obsiderant, qui⁴⁰ ducibus suis visis, in quibus spem habebant, circumstrepere coeperunt; et pro se quisque anxie percontari, quae fortuna, quisve suarum rerum apud Pontificem status esset. Tunc unus patrum, nihil motus in re subita, ut qui iam pridem talibus assuevisset, nihil aut verecundia tactus aut misericordia⁴⁵ miserorum inter spes vanissimas animam, vitam, fortunasque suas et tempus omne perdentium, insignis mendaciorum opifex, multa mentiri orsus et fingere quid cuique spei reliquum, quid ad huius aut illius postulata Pontifex respondisset, singula constanti impudentia et in nullo haesitans prosecutus est.⁵⁰ Quibus auditis creduli omnes et hic quidem ut fit laetior, ille subtristis in diversum abeunt. Alter autem patrum et naturae nobilioris et verecundioris animi, et qui nisi ex illo esset ordine, vir bonus esse potuisset, in collegam iocans: ‘Nihilne te’ inquit ‘pudet his simplicibus viris illudere et pro arbitrio⁵⁵ fingere responsa Pontificis, quem ut scis non modo hodie, sed multis iam diebus proximis videre nequimus?’ Ad hoc ille

reverendus pater et egregius veterator, ut erat fronte meretricia et attrita subridens: ‘Immo vero te’ inquit ‘pudeat tam 60 ingenio tardum fore ut Curiae artes addiscere tanto iam tempore nequeas.’ . . . [P. was amazed, but the rest applauded him for his cunning.]

Ad te vero, pater optime, stilum vertens, oro, obsecro, obtestor, adiuro te per temetipsum, si tibi carus es, si solitam 65 animae curam geris, ne quando tibi posthac in cor veniat illuc ire, unde nemo unquam exemplo melior factus, pessimi autem innumerabiles rediere. . . . [We must choose a place healthy for the moral character as well as for the body.] Sin, ut est animus honesti motus appetens, quoniam, quod eruditissimis quibusdam 70 placitum viris scio, unum hoc nobis coelestis originis argumentum est, ut motu perpetuo delectemur, loco te si movere volueris, ad nos veni, vide Romam, vide Mediolanum, vide Venetas, vide Florentiam, vide Patavium tuum, vide Bononiam, ubi honestis in studiis egisti adolescentiam et inte- 75 gritatem patriam Italicis artibus adornasti; postremo quidlibet vide, Indos quoque modo ne videoas Babylonem neque descendas in infernum vivens. [1347?]

Stephano Columnae Seniori. Fam. viii. I.

[Heu miserande senex . . .] [You were regarded as the most fortunate of men, blessed with a noble family. But we must call no man happy until he is dead.]

... Sed ad fortunae tuae varietatem redeo. Quinque germanos 5 fratres iampridem sepelieras. Quem non tantarum columnarum ruina prosterneret? Mansisti tamen inconcussus, et, quod proprium magni invictique animi fuit, in te unum universam domus sarcinam transtulisti. Et illud quidem damnum irreparabile immortali compensabas fama, rerumque 10 praegrandium memoria solabarisi; inque tot fratrum locum nepotum longus ordo successerat. Dilecta tibi interim et amantissima uxor eripitur, ‘felix morte sua, nec in hunc

servata dolorem'. Multo quidem sua morte felicior quam uxor Evandria, de qua id dictum est. Illi enim ne unius, huic ne plurimorum filiorum acerbum interitum videret, 15 tempestiva morte consultum est. Eripitur et natorum maximus, cui singulariter incumbebas, geminum grave vulnus tam multa perpresso. Mansisti tamen iam ruentibus fundamentis. Inde aliis usque ad invidiosam magnitudinem auctis et mira luce fulgentibus fortunae pepceras, et miscens amara cum 20 dulcibus, desiderium defunctorum superstitione solatio leniebas. Iam sensim obliteratus primorum vulnerum dolor erat, felix adhuc et, ut dixi, Metello felicior mori poteras. Longa vita praestitit, ut fieres Priamo similior quam Metello. Metellum quippe sepelierunt sui, suos Priamus sepelivit; multum diversa 25 conditio. Trux fortuna, paucane inconstantiae tuae argumenta praebueras, nisi veteribus etiam nunc exemplis Stephanus noster accederet, quem brevissimo tempore, vario genere moriendi, filiorum ac nepotum multitudine spoliatum, de felicissimo patre miserandum orbitatis spectaculum posuisti? 30 . . . [Stefano must seek comfort within himself, in the recollection of his past glorious life. To the wise man no calamity can be altogether unexpected.]

Memento ergo, mihi enim imago illius temporis ante oculos est, dum ante annos decem Romae tecum agerem, et forte 35 soli hora diei iam sera essemus, deambulantes in Via Lata, quae a domibus tuis ad Capitolii arcem dicit. Constitimus tandem illic, ubi transversa illam secat via, quae a montibus ad Camilli arcum atque inde ad Tiberim descendit; dumque in illo quadrivio, nullo interpellante, multa colloqueremur de 40 statu domus ac familiae tuae, quae tunc ut saepe aliis externis clarior periculis, civili bello gravissimo agitabatur, incidit, ut fit, unius ex filiis tuis mentio, quocum, suggestu malevolorum reor, eo tempore plus quam paterna iracundia dissidebas; sed tribuit mihi benignitas tua, quod multis ante negaveras, ut me 45 auctore ille tunc rediret in gratiam. Ceterum cum de eo multa mecum familiariter questus esses, mutata fronte tandem

scrutator
Lat. in 2^a) adieciſti haec fere (non enim rerum modo sed verborum mihi
suppetit memoria) : ‘ Filius meus, amicus tuus, de quo me
50 cogis ut paterne sim affectus, in senectutem meam quae
honestius continuisset evomuit ; sed quoniam negare tibi hoc
non possum, praeteritorum omnium oblivio et, ut aiunt,
abolitio sit. Post hanc diem nullum mihi vel in verbo irae
vestigium videbis. Vnum non silebo, cuius te tempus in omne
55 testem facio. Mihi quidem obiicitur in primis, quod contra
aetatis meae decus pluribus me bellis implicem quam oportet,
hanc filiis odiorum atque discriminum hereditatem relicturus.
Ego vero Deum testor, nullam me aliam ob causam nisi
!! amore pacis bella suscipere. Quietis avidum me vel senectus
60 ultima, et in hoc iam ferreo pectore frigescens animus, vel
longa humanorum casuum reddidit observatio. Verum ita
fixum atque firmatum habeo, labori terga non vertere. Mal-
lem tranquilliora ; sed si ita sors tulerit, ad sepulchrum potius
pugnando perveniam quam discam servire senex. Ad id sane,
65 quod de hereditate dicitur, hoc unum respondisse velim,
et hic fige in me oculos animumque. Utinam hereditatem
aliquam filiis dimitterem ! Sed aliud voto meo debitum,
aliud fato visum, quod moestus dico, siquidem confuso naturae
ordine filiorum meorum omnium heres ero.’ Haec dicens
70 undantes lacrimis oculos avertisti. Id quonam seu animi
praesagio, seu Dei monitu dixeris, incertum ; quamvis vatici-
nari aliqua de natorum eventibus principes solere, testis est
divus Vespasianus, qui alterius natorum mortis genus amb-
borumque praenuntiavit imperium.

75 Ego quidem die illo, tanquam vel casu tibi elapsum, vel ab
indignatione profectum, verbum contempsi, fateor, neque
tantarum fore virium suspicatus sum. Post longum vero
tempus, dum crebris filiorum mortibus quaeri fidem vaticinio
viderem, rem inter amicos retuli. Inde in vulgus effusa est ;
80 itaque sacrae memoriae Iohannes, Romani decus cardinis, et
familiae tuae princeps, tribus iam fratribus defunctis, evicit
precibus extorsitque, ut sibi rem totam ordine narrarem. Quod

cum invitus fecisset, ille suspirans ait: ‘Vtinam genitor noster non tam veridicus vates esset.’ Eodem anno, ferali illo primogeniti tui ac nepotum casu magis ac magis horrere 85 praesagium tuum coepit, donec ipse dolore confectus, ut arbitror, novissime moriendo, dictum patris tristi quidem sed plena fide complevit. Quae res cunctis qui eam audire mirabilis, mihi vero magis in dies horribilis ac stupenda est . . . [Stefano's experience of life will have taught him to despise the power of fate.] Vale. Sexto Idus Septembbris [1349].

Olympio suo. Fam. viii. 3.

EXPECTAVI anxie, necdum aut patiens nuntius aut otiosus dies adfuit. Itaque simul concepta carptim explicò, non quidem ex animi mei sententia; novi enim orationis perpetuae quanta vis. Ille orientalium fluviorum maximus, multis distinctus alveis, vides quam non modo permeabilis, sed etiam 5 contemptibilis factus est. Sed pareamus tempori, sit libitum quod licet, quando quod est libitum non licet. Et quoniam nuntii huius haud sat explorata fides erat, unam dumtaxat epistolae tuae partem exequar, ubi redditum ad fontem Sorgiae dissuades, ut illam tibi sollicitudinem eripiam. Videris enim 10 mihi de hac re non mediocriter curare, nec immerito, quod eo saepius vocantem Socratem nostrum non audire non potui. Itaque victus tandem precibus, sp̄o ponderam, si tractata succederent, quibus et honestus illic manendi color et vitae necessaria quaererentur (vitae, inquam, sodalium et multorum 15 ad me illic de more convenientium, mea enim vita non modo necessariis instructa, sed vereor ne supervacuis impedita sit), quo sibi libuisse secuturum, non ignarus quidem rerum harum et illarum, sed magnum ibi hactenus ducem nostrum et nos omnes esse cogitans, quos mihi reliquos mors fecisset, amoris 20 vestri velut uncis quibusdam validissimis retrahabar.

Nunc mutata sunt omnia, et amicorum turba abiit, et dux

noster obiit, et Socrates meus, qui solus ibi est, quamvis unus
 in me possit omnia, quamvis inveteratae consuetudinis vi et
 25 ipse ibi esse et omnes suos meque ante alios secum esse de-
 sideret, nunquam tamen audebit, omni spe abscissa, in eas nos
 terras accersere, ubi omnes prorsus alienigenae atque hospites
 futuri simus. Neque enim ludus est hominibus mortalia et
 30 caduca corpuscula trahentibus dicere, quod animae felices cor-
 pore solutae apud Virgilium loquuntur : ‘ Nulli certa domus,
 lucis habitamus opacis, Riparumque toros et prata recentia rivis
 Incolimus ’. Si enim ista sufficerent, posset utique Clausa Vallis,
 unde Sorgiae fons erumpit, nobis omnibus abunde rivulos nitens-
 tes et frondosas domos et herbosa cubilia ministrare. Sed plus
 35 aliquid exigit natura ; philosophos quidem et poetas duros ac
 saxeos vulgus extimat ; sed in hoc fallitur, ut in multis ;
 40 carnei enim sunt, humanitatem retinent, abiiciunt voluptates.
 Est autem certa vel philosophicae vel poeticae meta necessitatis,
 quam praeterire suspectum sit. Non est per se sufficiens, ut
 ait Aristoteles, naturam speculari, sed oportet et corpus sanum
 45 esse et cibum et reliquum famulatum existere. ‘ Neque enim
 cantare sub antro Pierio, thyrsumve potest contingere saeva
 Paupertas atque aeris inops, quo nocte dieque Corpus eget,’
 ut Satyricus ait, magno ac perpetuo apud doctos philosophici
 poeticique dogmatis consensu rerum sed verborum varietate
 50 multiplici. Igitur Clausa Vallis, ut coeptum sequar, ad aliquod
 breve tempus urbanarum voluptatum taedio affectis, ut olim,
 diverticula non inamoena sufficeret, in longum certe nec
 promitteret necessaria nec praestaret. . . . [We must consider
 life as a whole.]

Scio Clausae Vallis optabilem aestivo praesertim tempore
 stationem, et si ulli unquam secessus ille gratus fuit, mihi
 fuisse gratissimum decennis indicio est mora. Quod si apud
 te, immo vero apud alterum me, sine iactantia gloriari licet,
 55 pace montium ac fontium silvarumve, aliquid usque nunc
 loco illi, non dicam clarius, sed certe notius incolatu meo
 accedit ; opinari ausim apud multos non minus illum meo

nomine quam suo miro licet fonte cognosci. Quod idcirco dixerim, ne quis dubitet, me illud rus nunc spernere, quod mihi meisque rebus aptissimum semper inveni, ubi saepe curas 60 urbanas rustica requie permutavi; quod non tantum electione ipsa, sed agrestibus muris, et (ut spero) solidiore cemento, verbis atque carminibus illustrare pro viribus studui. Illic, iuvat enim meminisse, *Africam* meam coepi tanto impetu tantoque nisu animi, ut nunc limam per eadem referens 65 vestigia, ipse meam audaciam, et magna operis fundamenta quodammmodo perhorrescam. Illic et *epistolarum* utriusque stili partem non exiguum, et paene totum *Bucolicum carmen* absolvı, quam brevi dierum spatio, si noris, stupeas. Nullus locus aut plus otii praebuit aut stimulos aciores. Ex omnibus 70 terris ac saeculis illustres viros in unum contrahendi illa mihi solitudo dedit animum. Solitariam vitam religiosumque otium singula ibi singulis voluminibus perstringenda et laudanda suscepı. Denique iuvenilem aestum, qui me multos annos torruit, ut nosti, sperans illis umbraculis lenire, eo iam inde 75 ab adolescentia saepe confugere, velut in arcem munitissimam, solebam. Sed heu mihi incauto! Ipsi nempe remedia in exitium vertebantur. Nam et his, quas mecum adduxeram, curis incendentibus, et in tanta solitudine nullo prorsus ad incendium accurrente, desperatius urebar; itaque per os meum 80 flamma cordis erumpens miserabili, sed, ut quidam dixerunt, dulci murmure valles coelumque complebat. Hinc illa vulgaria iuvenilium laborum meorum cantica, quorum hodie pudet ac paenitet, sed eodem morbo affectis, ut videmus, acceptissima. Quid multa? Si, quaecumque alibi, cum his 85 quae ibi scripsi, conferantur, loca omnia locus ille, me iudice, hactenus supereret. Est igitur, eritque dum vixero, sedes illa mihi gratissima, commemoratione iuvenilium curarum, quarum usque ad hanc aetatem in reliquiis elabore.

Verumtamen, nisi nosmet ipsos fallimus, alia quaedam sunt 90 viro tractanda quam puero; et ego aliud illa aetate non videram. Obstabat tamen recto iudicio caecus amor; obstabat

aetatis imbecillitas paupertasque consilii; obstabat reverentia ducis nostri, sub quo esse pluris erat quam libertas; 95 immo sine quo nec libertas nec vitae iucunditas plena erat.

Nunc et illum et quidquid dulce supererat uno paene naufragio amisimus; quodque sine suspirio dici nequit, virentissima olim ^(Lauru) laurus mea vi repentinae tempestatis exaruit; quae una mihi non Sorgiam modo, sed Duentiam Ticino fecerat cariorem; 100 velumque, quo oculi mei tegebantur, ablatum est, ut videam quid inter Vallem Clausam Venusini, et apertas Italiae valles collesque pulcherrimos et urbes amoenissimas ac florentissimas intersit, interque unicum Sorgiae fluvium ac fontem, et tot lucidos fontes, tot vaga flumina, tot piscosos lacus, duo longe 105 clarissima maria, Italiam curvis et speciosis anfractibus hinc inde vallantia; ut reliquas naturae praestantissimas dotes sileam, atque in primis ingenia moresque hominum, de quibus non hic dicendi locus est. Et tamen vide quantum primae impressiones animis haereant, quantumve consuetudo longior 110 possit in rebus omnibus. Ut enim, iuxta perfectae legem amicitiae, omnes tibi pectoris mei fluctus aperiam, sensum hac in parte rationi rebellantem sentio, et, fateor, vallem illam nunc vel maxime repudians suspiro; meque vel invitum nescio quis locorum amor vellicat. Ibam vero nunc longius; sed 115 exspectantis murmure nuntii admoneor ut dicam: Vale.

xv. Kalendas Iunias [1349].

Socrati suo. Fam. viii. 7.

[Mi frater, mi frater . . .] [*The wise man should control his grief, but P. admits that he finds relief in writing to Socrates without control.*]

... Qua in re benigno sub iudice forsitan excuser, si ad examen 5 venerit, illud quoque non leve aliquid, sed millesimum trecentesimum quadragesimum octavum sextae aetatis annum esse, quem lugeo, qui non solum nos amicis, sed mundum omnem

gentibus spoliavit. Cui si quid defuit, sequens ecce annus illius reliquias demetit, et quidquid illi procellae superfuerat, mortifera falce prosequitur. Quando hoc posteritas credet fuisse tempus 10 sine coeli aut telluris incendio, sine bellis aut alia clade visibili, quo non haec pars aut illa terrarum, sed universus fere orbis sine habitatore remanserit? Quando unquam tale aliquid visum aut fando auditum, quibus hoc unquam annalibus lectum est, vacuas domos, derelictas urbes, squalida rura, arva cadaveribus 15 angusta, horrendam vastamque toto orbe solitudinem? Consule historicos, silent; interroga physicos, obstupescunt; quaere a philosophis, humeros contrahunt, frontem rugant et digitulo labris impresso silentium iubent. Credet ista posteritas, cum ipsi qui vidimus vix credamus, somnia credituri, 20 nisi exorrecti apertis oculis cerneremus, et lustrata urbe funeribus suis plena, domum reversi exoptatis pignoribus vacuam illam reperientes, sciremus utique vera esse quae gemimus? O felicem populum pronepotum, qui has miserias non agnovit, et fortassis testimonium nostrum inter fabulas 25 numerabit!

Meremur haec quidem et graviora, non infitior; sed et maiores nostri meriti sunt, atque utinam non et posteri merebentur. Quid est ergo, iudicium iustissime, quid est quod insigniter adeo in nostrum tempus ultionis tuae fervor in- 30 cubuit? Quid est quod, cum culpae non desint, desunt exempla supplicii? Cum omnibus peccavimus, flagellamur soli. Soli, inquam; audeo enim affirmare, quod si omnium saeculorum flagella post arcam illam famosissimam, reliquias mortalium informi pelago circumferentem, cum praesentibus 35 aestimentur, deliciae fuerint et ludus et requies; neque enim cum his malis conferri decet bella quantalibet, in quibus et remediorum multa sunt genera, et, quod ultimum est, viris saltem fortiter mori licet. Est autem solamen mortis eximium, bene mori. Hic remedii nihil prorsus, nihilque solatii est, 40 cumuloque cladis additum mali causas principiumque nescire; nam nec ignorantia nec ipsa quidem pestis odiosior nugis ac

(redicōs) fabulis quorumdam hominum, qui professi omnia sciunt nihil, quorum tamen ora, licet assuefacta mendaciis, tandem silent, 45 et quae impudentia primum ex more laxaverat, ad ultimum clausit stupor. . . . [The present generation is being punished for its own sins and its fathers' sins. God works in mysterious ways. He reminds Socrates of all the friends they have lost in the last year.]

50 Supererat hic mihi paululum de fragmentis anni praeteriti ante alios vir clarissimus, et, siquid mihi credis, magni animi consiliique, Paganinus Mediolanensis, qui mihi post plurima experimenta virtutis acceptissimus, nec me modo sed nobis dignissimus visus erat. Itaque iam hic mihi Socrates alter esse 55 cooperat, fides familiaritasque prope eadem, quodque dulcissimum habet amicitia, participatio utriusque fortunae, apertisque animi latebris, fida communicatio secretorum. . . . [He loved Socrates from P.'s report of him.] Et hic quidem (quod sine multis lacrimis non dico, et cum pluribus dicerem, nisi praecedentibus malis exhaustos hosce oculos atque omnes, si quae sunt, lacrimarum reliquias instantibus reservarem), hic, inquam, pestilenti morbo, qui nunc orbem populatur, repente corruptus ad vesperām, postquam coenam cum amicis et quod occidui temporis restabat, in nostro tantum sermone et amicitiae 65 rerumque nostrarum commemoratione consumpserat, noctem illam inter dolores ultimos imperterritu animo transegit; mane autem rapida morte subtractus est, ac ne quid de funesta consuetudine laxaretur, triduo inexpleto illum filii omnisque familia consecuti sunt. . . . [Fate was still not satisfied with 70 this calamity.]

Duos nobis amicos fortuna reliquerat, et licet alios reliquisset, ii tamen erant quibuscum tempus vitae nostrae quod restat, ea non prohibente, posse traducere videbamur. Quid enim ex omnibus obstabat? Non paupertas, non divitiae, non disparitas 75 voluntatum. Animus in quatuor unus erat. Itaque gloriabar, antiquitatem perraris et in diversis saeculis uno vel altero, aetatem vero nostram esse et domum unam brevi fore/duobus

simul amicorum paribus adornatam. Minus proprie paria nominavi, unum erat, immo vero nullum par, sed una omnium mens, ut dixi. Quid, heu mihi! Luca nostro benignius? 80 Quid Maynardo suavius? In quorum iudicio nos errare diuturnior experientia non sinebat. Primus quidem sic animo compositus, ut praeter dulcissimum iucundissimumque convictionem etiam nostrorum studiorum particeps et comes esset. Alter autem, etsi huiuscemodi rerum expers, abunde tamen 85 ornatus iis per quae studiis talibus pervenitur, humanitate scilicet, fide, liberalitate, constantia. Quid multa? Liberalium disciplinarum nescius, sed vir bonus et amicus esse didicerat, et in coetu nostro talis unus aptior erat quam si omnes studio deditos ceterarum rerum omnium incuriositas habuisset. Itaque 90 ad opportunitates varias commode admodum et paene divinitus ille nobis quartus accesserat. Nimis felices visi sumus; invidit crudelissima fortuna, et indignata est, quod nos nondum totos tantorum comitum perditione prostrasset.

Moverant ambo simul, et te, frater, apud Avignonem, ut 95 certus sum, non sine suspiriis dimisso me alteram animi sui partem cupidissime petebant. Moestam nimis et miseram historiam aggressus sum. Sed est quaedam lugendi dulcedo, qua saepe nimium pascor infelix. Veniebant pariter optimo animo, fato pessimo, miserabili eventu, ille Romam petiturus, 100 ille Florentiam. . . . [P. had just left Parma when they arrived, his first absence from the town for a year.] Quod si me Parmae reperissent, poterat mora longior fortunae duritiem fortassis inflectere, mutassent forte consilium, et per nuntios actis quae acturi erant in patria, ipsi amoris dulcedine compediti tecum 105 inseparabiliter resedissent. Et nunc quid prohiberet quominus simul omnes essemus in quiete illa animi diutius exoptata? . . . Itaque cum Parmam venissent, percontando per obvios re comperta, tristes ad domum nostram deiectis animis ac vultibus descenderunt. Quid singula prosequar? . . . [They 110 stayed the night in P.'s house.] Postero autem circa horam diei sextam abierunt litteris domi relictis, quibus mihi et eorum

tristitia et redeundi propositum, multaque praeter haec alia nota sunt. Quas ego litteras dum vivam inter delicias habebo, 115 dolorum stimulus ac lacrimarum materiam immortalem. Mensis abhinc integer lapsus erat, cum ego ignarus horum omnium domum redii, litteras reperi, famulosque meos cum earum tenore concordes audivi admirans. Sed quid agerem? Illi tanto ante discesserant ut iam demens exspectarem redditum 120 ac negligentiam accusarem. Quae postquam mihi debito longior visa est, unum ex famulis Florentiam misi, Maynardum litteris excitans ad observationem promissorum, atque illud adiiciens ut eumdem nuntium Lucae nostro mitteret, seu ille Romae moras ageret, seu Teani, cui ingentem quoque epistolam 125 scripsi exhortatoriam ad votorum modestiam et ad huius vel alterius loci electionem, quicumque rebus nostris appareret opportunior, nec non ad morem studiosae solitariaeque vitae; quae quoniam omnes aequaliter tangebat, ut per eum ad te etiam mitteretur inserui. . . . [P. was preparing for their arrival.]

130 Has inter curas, quae infausti rumoris amaritudinem geminarunt, nuntius meus die octavo, postquam hinc discesserat, per intensissimum imbrem non exspectatus adfuit, et pluvia et lacrimis madens et fronte vulnus animi visibiliter p[re]ferente. Dirigi et excusso manu calamo (scribentem enim forte com-
135 pererat): 'Quid novi affers, dic ocios,' exclamo. At ille gemitu verba frangente: 'Infelix' inquit 'nuntius advenio. Amici tui super Apennini verticem in saevas latronum manus inciderunt.' Heu mihi! quid mali est? Prosequitur ille singultiens: Maynardum, qui casu quodam nil tale metuens
140 substiterat, in insidias lapsum et repente compressum inter carneficum gladios procubuisse; Lucam clamore permotum adacto calcaribus equo advolasse viriliter, solumque inter decem aut amplius sicarios stricto mucrone constitisse, multisque vulneribus datis et acceptis, vix tandem vivum evasisse;
145 praedones sublata occisi praeda impio gressu abiisse, ita tamen ut labore simul et conscientia defessi, facile capi potuerint, excitatis agrestibus ad tumultum, nisi quidam falso et indigno

nobilitatis nomine superbi, quos nominare non est necesse,
 currentes a montibus, et cohibusserent iustum impetum in-
 sequentium, et cruentam praedonum catervam sub moenibus 150
 excepissent; Lucam adhuc gladium in manibus habentem,
 procul inde visum inter rupes ac nemora; nil de eo deinceps
 aliud auditum. . . . [He describes his anxiety as to the fate of
Luca.]

Transibat hac, sextus hodie, ut reor, aut septimus dies est, 155
 nobilis quidam vir, Florentinus civis, e Curia veniens, cui cum
 forte in via publica equos suos currenti [*sic*] occurrisset unus ex
 pueris meis, secretorum mihi conscius dolorum, et ex sermone
 hominis, ut fit, etiam patriam cognovisset, ultiro verbis eum
 aggressus inquirere coepit, an de hoc amicorum nostrorum 160
 casu noscat aliquid. Et cum nosse omnia videretur, hortatus
 est ut mecum loqui et infestum dubietatis meae nodum vellet
 absolvere. At ille, audito nomine meo, alioquin licet mihi
 incognitus, benigne admodum multis comitantibus ad me
 venit; quem de omnibus diligentissime percontatus in summa 165
 didici Lucam nostrum vivere, sic et apud nos litteras Florentia
 transmissas, sic publicam famam loqui. Ita ego, quod mirari
 et indignari soleo, in media positus Italia rumores Italicos
 ignoro, donec ex Gallia nuntientur. Illius ergo digressu sic
 remansi quasi inter densas animi mei nubes quidam insperati 170
 gaudii radius penetrasset. . . . [But conflicting rumours still
 reached him as to Luca's fate, and P.'s anxiety was long con-
 tinued. He sends greetings to various friends.] Vale iterum et
 semper mei memor, et rescribe quaeso si vivis et si vales. Haec,
 frater, ut facile perpendi potest, scripsi inter molestias et 175
 tumultus animi varios et cum multa festinantia, licet nuntius
 aliquis non adesset; sed aderit forte dum non sperabitur, vel
 me absente, qui perferat; ego enim quotidie per rura nostra
 discurro, non tam rei familiaris cura, quae mihi nulla est, quam
 amore solitudinis, ut, si quodammodo fieri possit, me ipsum 180
obliviscar et languores meos. Vale. x. Kalendas Iulii [1349].

Socrati suo. Fam. ix. 2.

TE compressis aliquando gemitibus sedatisque suspiriis atque animi turbinibus, infracta voce siccisque oculis alloquor. Sic me audies quasi hominem naufragio elapsum fessumque querimoniis, sedentem in litore, moestum quidem sed iam 5 fletu abstinentem et parvas magnae fortunae reliquias recentem. Mitto illas amoenissimas atque amplissimas amicitiae opes, quibus abundantissimus regibus ipsis ac terrarum dominis mihi ditior videbar, quarum repente pauperrimus factus sum ; non est ferendus qui imminutas delicias suas luget. Ad' necessaria vitae praesidia, quae nostra videbantur, sed non erant, transeo. Duos mihi fratres genetrix mea, plures amicitia pepererat. Primum quidem fratum naturalium mors infantem tulit. Secundum mihi Cartusia iam virum abstulit, immo vero non mihi, sed mundo ablatum Deo reddidit, 15 Gerardum nostrum, nulla in re aut germano tibi unico secundum, aut mihi quam tibi ullis affectibus vinctiorem. At in reliquis, ut sileam duos, recentium mihi fletuum materia, quorum alterum Apenninus extinctum habet, alterum terror vagus, ita ut illius certa mors, huius incerta sit ; quattuorque 20 alios non omittam, Thomam scilicet ac Barbatum, et Laelium et Guidonem nostrum, quorum primum Messana Siciliae, secundum Sulmo Brutiorum, tertium Roma, quartum Ianuensis ora donaverat ; sed primum mihi mors tenerum, secundum [coniugii] tenax nodus, tertium cura reipublicae, quartum vero 25 curialis occupatio habendique studium eripuit. Duo praeter hos alii contigerant, nulli vel ingenio vel amicitiae gloria cessuri, Franciscus et Ioannes, conterranei mei ambo, par hominum ad unguem doctrina et morum elegantia perpolitum. Hos mihi patria, quae dedit, ipsa eripit. Ita enim affixi et nativae 30 zonae dulcedine compediti sunt, ut, cum amoris illorum pignora multa quidem et magna possideam, convictus nulla prorsus extra muros patrios spes sit.

Ita, quoniam de amicis paribus sermo est, quorum facilior

suaviorque usus, vides, nisi fallor, ut ad te unum vere tota
 res reddit. Te autem, mi Socrates, te unum mihi, quod miren- 35
 tur posteri, non tellus Ausonia ut reliquos dedit, sed Cereris
 et Bacchi et Minervae sterilis, at virorum fertilis Annea
 Campiniae; neve forsitan rudis lector Campaniam dici putet, ^{am}
 Campiniam dico, inferioris Alemanniae, ut nunc vulgo fertur,
 vel aliter extremam Galliae Belgicae particulam, quae inter 40
 laevum Rheni latus et Hollandiam et Brabantiam iacet, ut
 inops patria divite gloriaretur ingenio, et natura suum ius
 teneret e limo quolibet et quocumque sub aere magnos spiritus
 procreandi. Haec te mihi igitur talem virum genuit atque in
 lucem misit illo ipso tempore quo ego procul alio terrarum 45
 orbe nascebar; quamvis, quem origo fecit alienigenam, man-
 suetudo animi et conversatio longior, atque in primis amor
 mei, magna Italum te ex parte fecerit. Mirum in tam longe
 natis quanta vicinitas animarum, quanta sit coniunctio volun-
 tatum, viginti iam nunc annorum testimonio probata. Nomen 50
 tibi a gravitate morum ac iucunditate indictum, cumque ars
 musica in qua regnas Aristoxenum dici vellet, vicit iudicium
 amicorum ut noster Socrates dicereris. Haec non tibi sed
 mihi met atque aliis memorasse gratum fuit.

Nunc te mihi unicum ferme iam laboriosae vitae solamen 55
 ac levamen invida sors, interiectis Alpibus, tendit eripere;
 quod si peragit, solus sum. Id ne pati velis, per omnes te
 coelicolas obtestor, mihi que hoc totum animi tui acumen ut
 expendas, quaeso. Nimis equidem seu locorum seu temporum
 intervallis abstrahimur, unumque prosperitatis eximum fru- 60
 ctum atque adversitatum remedium amittimus, simul vivere.
 De hoc multa Olympio pridem nostro, sed ut vereor frustra,
 multa etiam tibi saepe et dixi et scripsi, quae quoniam memoriae
 affixa confido, illa nunc paucis excitasse ac refricuisse suffecerit.
 Te ergo, quem cum aliis in consilium mittere solebam, iam 65
 solum hortor ut consulas tu orator confutatorque, tu iudex
 electorque sententiae; et ego libens obsequor. Scis geminam
 nobis in Italia sedem esse; si neutra placet, tu delibera, modo

ne iudicium affectus impedit, ubinam commodius futuri simus.

70 Nusquam adeo radicatus sum, quin blando pollice fidi amoris
avelli possim; quo tibi, ni fallor, scrupulosius trutinanda res
est. Vide si qua est via quae sparsos recolligat amicos; quod
si nulla est, me, oro, iam tandem teque ipsum hoc expedias
laborere; et quod nullo sidere prohibemur, tuis in litteris ut te
75 videam praestes; nam tu in meis me tam crebro vides, ut
nisi caritas supereret iam possim tibi esse fastidio. Vale.
 iv. Idus Martias, Veronae [1350].

Amicis suis. Fam. ix. 3.

REIQVIAE nos malorum veterum exercent; honestatem profiteri volumus nec valemus. Nulla nobis de praesenti fides/ praeteriti temporis opinione laborantibus. Importune fores obsidet amica, et saepius pulsa revertitur atque insidiis 5 pernox latet. Iures coelibem te agere vitam velle, praelatam sibi alteram credet, ut cui et incognitus coelibatus, et persuasum sit te vita simul et feminae consortio caritatum. Comites antiqui limen assuetum agmine facto circumstant, evocant, interpellant, diem festum et conventum nobilium 10 matronarum alaci clamore denuntiant. Respondes te talia non amare? Primum attoniti mirantur, mox irrident et iniecta manu protrahunt quo nolis, ut qui mutatos affectus et proximam senectutem, quam in se iuvenilibus adhuc animis non advertunt, nec in coaetaneis suspicantur. Procuratores et 15 rei domesticae ministri damnis hinc instantibus accurrendum, hinc praeteritis succurrendum consulunt. Ingererem illud Anaxagorae: ‘non essem ego salvus, nisi ista periissent,’ aut simulatorem aut insanum putant. Amici partim residem sollicitant et mille vias ambitionis atque avaritiae ostendunt, 20 utendum tempore, et occasionem fortunae impigre rapiendam. Testantem superos bonis propriis contentum esse pars ve- cordem nihilique hominem fastidit; pars fronte consilium occultare, ne quis sibi pectus monstranti quaestus partem

eripiat, arbitrantur. Quid maioribus insisto, cum minimorum indignatio non desit? Sartori sutorique meo persuadere non possum ullis artibus me laxiorem vestem et calceum velle quam soleo. Putant me fingere modestiae causam, et cum multa promiserunt, non petitione meae sed opinioni suae obsequuntur.

Dante Singon Sic iam senes adolescentum malis premissimur; versantique animo quid hic remedii esse possit, una tantum ad salutem ostenditur via. Aliquo terrarum fugiamus, ubi nos sanam mentem attulisse non sit incredibile, ubi possimus tandem esse quod sumus, nec cogamur esse quod fuimus. Saepe fessis motum latus et mutatus aer aegris profuit. Mansuescunt arbores insitae et translata holera convalescunt. Quod ad me attinet, amici, id mihi nunc in animo est. Quamvis enim contra multorum sententiam sit, sentio saepe alibi tranquillus senectutem agi quam ubi adolescentia acta est. Avinione, vii. Kalendas Octobris [1351?].

Gerardo fratri suo Monacho Carthusiano. Fam. x. 3.

SVBIT animum, luce mihi carior germane, longaevo silentio finem ponere; quod si forsan oblivious animi indicium arbitraris falleris. Non prius te quam me ipsum obliviscar. Timui hactenus tirocinii tui quietem interrumpere; fugere te strepitum, amare silentium sciebam, me vero, si semel inciperem, haud facile desitulum; is amor tui est, ea rerum tuarum admiratio. E duabus igitur extremis non quidem mihi gratius sed tibi tranquillus eligebam. Nunc, ut verum fatear, non tam tibi quam mihi consulturus ad scribendum venio. Quid enim tu sermunculis meis eges, qui coeleste iter ingressus, angelicis assidue colloquiis recrearis? . . . [P.'s letters can hardly be a danger to his brother's monastic vows, after a probation of seven years.] Meministi, frater, qualis olim rerum nostrarum status erat, et animos nostros quam laboriosa dulcedo et quantis amaritudinibus conspersa torquebat; meministi, puto, ut nunc et libertati tuae congaudeas et fraternalae condoleas servi-

tuti, quae me adhuc solitis compedibus arctatum ténens, iam cultrum lateri, iam laqueum collo parat, peregissetque iam pridem, ni liberatoris dextera, quae te servitio exemit, me ab 20 interitu defendisset. Orabis, frater, ut me quoque iam tandem libertati restituat, et uno ventre progressos pari fine felicitet et si praeire debueram, non pudebit sequi. Meministi, inquam, quis ille et quam supervacuus exquisitissimae vestis nitor, qui me hactenus, fateor, sed in dies solito minus, attonitum habet ; 25 quod illud induendi exuendique fastidium, et mane ac vespere repetitus labor ; quis ille metus, ne dato ordine capillus efflueret, ne complicitos comarum globos levis aura confunderet ; quae illa contra retroque venientium fuga quadrupe- dum, ne quid adventiciae sordis redolens ac fulgida toga 30 susciperet, neu impressas rugas collisa remitteret. . . . [The religious life has freed Gherardo from these follies, P. is being liberated by advancing age.]

Quid de calceis loquar ? Pedes, quos protegere videbantur, quam gravi et quam continuo bello premebant ! Meos, fateor, 35 inutiles reddidissent, nisi extremis necessitatibus admonitus offendere paululum aliorum lumina quam nervos et articulos meos conterere maluissem. Quid de calamistris et comae studio dixerim ? Quotiens somnum, quem labor ille distulerat, labor ille abruptit ? Quis piraticus tortor crudelius arctasset quam 40 propriis ipsi manibus arctabamur ? Quos mane nocturnos sulcos in speculo vidimus rubenti fronte transversos, ut qui capillum ostentare volebamus, faciem tegere cogeremur ? Dulcia sunt haec patientibus, passis vel memoratu horrida, incredibilia inexpertis. . . . [The recollection of these follies 45 must increase Gherardo's satisfaction with his life to-day.]

Et, ut haec leviora praeteream, recordare etiam, quo promptius e tanta Charybdi liberatus dignas Deo gratias agas, quanta nobis fuerat cura, quantaeque vigiliae, ut furor noster late notus et nos essemus populorum fabula. Quotiens syllabas 50 contorsimus ! Quotiens verba transtulimus ! Denique quid non fecimus ut amor ille, quem si extinguere non erat, at

saltem tegi verecundia iubebat, plausibiliter canceretur ! Laudabamur in studiis nostris, et ‘capita delirantium peccatoris oleum impinguabat’. Sed ineffabilis Dei pietas gressus tuos interea pedetentim revocabat ad rectum iter. . . . [He holds his 55 brother most fortunate to have escaped the annoyances of secular life, the trials of servants, the avarice of guardians, &c.] vii. Kalendas Octobris, ex oppido Carpensi [1348].

Gerardo fratri suo. Fam. x. 5.

[Geminum otium tuum munus. . . .] [He writes of the discord and contradictions in human life.]

Postremo de me, cuius vicem valde germanitas tua pertimescit, nec immerito, tot in circuitu frementibus procellis, non dico securitatem sed spem bonam habeas. Scito me con- 5 siliorum quae mihi supremo digressu dederas non oblitum. Afferre non ausim adhuc me in portum confugisse ; feci autem quod nautae solent quos in alto tempestas invasit ; insulae, ut ita dixerim, cuiuspiam unum latus ventis ac fluctibus obieci ; illic, donec tutior portus appareat, delitesco. Et quem, 10 inquires, in modum ? Si quidem, Iesu Christo auspice, tria illa utcumque me implesse noveris quae mandasti, et ut consummatius impleam summis in dies viribus eniti, quod non ad gloriam meam, qui adhuc multis in malis ac miseriis vessor, cui multus et de praeterito dolor et de praesenti labor, et de 15 futuro metus est, sed ad gaudii tui primitias narro ; simul ut, quo melius de me sperare cooperis eo ferventius pro me incipias orare.

Sunt autem tria haec in quibus tibi parui. Nam et in primis abditas scelerum meorum sordes, quae funesta segnitie 20 longoque silentio putruerant, in apertum manibus salutiferae confessionis elicui ; idque saepius facere, atque ita omnipotenti medico caecum animi mei vulnus ostendere, in consuetudinem adduxi. Deinde non diurnas modo sed nocturnas ad laudes Christo dicendas adeo impiger, eodem sollicitante, factus sum, 25

ut his etiam brevissimis noctibus, quantalibet serotina fatigatum
 vigilia, nunquam me vel sopitum vel tacitum aurora reperiat.
 Ita mihi placuit illud Psalmistae : ‘ Septies in die laudem dixi
 tibi,’ ut ex quo semel hunc morem sum amplexus, nulla me vel
³⁰ semel ab incepto occupatio diurna distraxerit ; et illud eius-
 dem : ‘ Media nocte surgebam ad confitendum tibi,’ ut
 quotidie illa hora nescio quem ad excitandum me venire
 sentiam, qui gravi licet somno pressum dormire prohibeat.
 Tertium est quod consortium feminae, sine quo interdum
³⁵ aestimaveram non posse vivere, morte nunc gravius perti-
 mesco ; et quamquam saepe temptationibus turber acerrimis,
 tamen, dum in animum redit quid est femina, omnis tentatio
 confessim avolat, et ego ad libertatem et ad pacem meam
 redeo. Quibus in rebus, amantissime, tuis me precibus adiutum
⁴⁰ esse credo, et adiutum iri. . . . [He hopes to continue in this
 course.] III. Idus Iunias, in solitudine [1352].

Iohanni de Certaldo. Fam. xi. 1.

SPERABAM loci atque animi mutatione mutari posse
^{fortunam}, sed fallebar, ut video ; quocumque fugio,
 illa me sequitur. Seu me curru volubili, seu frementi corni-
 pede, seu volanti navigio, seu denique Daedalicis alis abstulero,
⁵ profugum torva praeveniet. Nequidquam tamen ; vellicare
 enim potest et impellere ; prosternere, iam Deo gressus meos
 sustentante, non potest. Iam cum Demetrio didici et mandare
 laqueum minaci et medium unguem indignanter ostendere.
 Retentat illa me tamen artibus suis, et a quo saepe sub annis
¹⁰ tenerioribus victa est, eum vincere meditatur aetate iam solida
 et tranquilla, quasi facilius sit cum seniore certamen, atque, ut
 corporis vigor, sic animi vires vivendo decreverint ; quae nisi
 crevissent, frustra me vixisse quidem arbitrarer. Perinde quos
 illa mihi nuper laqueos tetenderit, ne mea te in admirationem
¹⁵ mora longior trahat, dicam.

Romam ego, ut scis, salutato quidem te, petebam, quo annus

hic, quem votis optavimus peccatores, fere Christianum genus omne contraxit. At ne taedio solus peregrinus afficerer, aliquot mihi me comites elegeram, quorum nātu grandior religiosae senectutis obtentu, alter scientia facundiaeque vehiculo, ceteri ²⁰ experientia agibilium et fideli obsequio lenituri omne iter, licet asperrimum, videbantur. Sic mihi provideram maturo magis, ut eventus docuit, quam felici consilio. Et ibam ferventi animo positurus iam tandem piaculis meis finem. Nec enim, ut ait Flaccus ‘lusisse pudet, sed non incidere ludum’, quod profecto ²⁵ propositum, ut spero, nihil potuit aut poterit immutare fortuna. Allidat scopolis quamquam et cruento cerebro saxa respurgens laceret hoc infesta corpusculum, sui quidem ac suarum rerum spiritum contemptorem eruet fortasse, non opprimet; et languere artus saepicule, animum aegrotare nunquam coget. ³⁰ Non modicum sane nuper, ne amplius exspectatione fatigeris, in corpus meum illi licuit.

Siquidem Vulsino egressus, quod nunc parvum et ignobile oppidum, olim inter Etruriae capita numeratum est, sacram urbem quinto visurus alacriter festinabam. Vnum hoc ³⁵ identidem cum animo meo tractans: ecce ut aetas nostra sensim labitur; ecce ut res et consilia hominum mutantur: ecce quam verum est quod in Bucolicis meis scripsi: ‘Studium iuvenile senectae Displicet, et variant curae variante capillo.’ Quartus decimus annus est ex quo Romam¹ miracula rerum ⁴⁰ dumtaxat videndi desiderio¹ primum veni. Secundo me huc, aliquot annis interiectis, nescio an immatura, sed dulcis laureae cupiditas attraxit. Tertii ac quarti itineris causa fuit illustrium amicorum miseratio, quorum tunc deiectis miserabilibusque fortunis, impares licet, humeros admovere non timui. Haec ⁴⁵ mihi nunc quinta, quis scit an et novissima, peregrinatio Romana est; tanto ceteris felicior, quanto generosior est animae cura quam corporis, quantoque optabilior aeterna salus quam mortalis gloria. Talia cogitantem et, quamvis in silentio, Deo gratias agentem, religiosi illius cuius supra mentionem ⁵⁰ feci et grandaevi abbatis equus, qui mihi loco quidem sinister.

ibat, sed multo sinistrior eventu, equum meum, ut aiunt, ferire volens, me, qua tibiae poples iungitur, tanta vi percussit, ut ingens velut fractorum sonus ossium multos etiam qui aberant 55 ad spectaculum evocaret. Dolore tactus incredibili subsistere primo meditatus sum; ipse me locus exterruit; necessitate igitur in virtutem versa, sero Viterbum atque inde vix die tertio Romam attigi. Illic, medicis accitis, os detectum atque horrifice albicans dubium an et fractum; vestigia quoque 60 clarissima ferrati calcis extabant. Odor neglecti vulneris tam molestus, ut me ipsum supra fidem impatientia sui saepe violenter averteret; et quamvis cum corpore nostro quaedam nobis innata familiaritas sit, per quam multa in suo corpore fert quisque suaviter quod in altero fastidiret, ego tamen raro 65 unquam in alieno cadavere ut nunc in carne propria cognovi quam nihil, immo vero quam miserum et vile animal est homo, nisi ignobilitatem corporis animi nobilitate redemerit.

Quid multa? Inter manus medicorum intraque metum et spem salutis dubius iam quartum decimum diem Romae iaceo, 70 qui dierum numerus, si cum annis totidem conferatur, iudice me longior atque molestior sit. Hic enim status cum ubique mihi gravis et importunus futurus esset, eo quod praeter naturam plurimorum quantulacumque vis ingenii mei situ et quiete corporis torpet, motu sobrio vegetatur (ut non immerito, 75 quamquam Stoicorum sententias anteponens, Peripateticum tamen ambulandi morem semper et verbis et rebus ipsis approbare soleam), tum hic praesertim importunissimus atque gravissimus est propter animum inexplabilem reginae urbis aspectibus, quam quo magis intueor, magis magisque ad cre- 80 dendum cogor quidquid de hac scriptum legimus.

Casum tamen ipse meum doloremque consolor, quasi hoc coelitus actum sit, ut quoniā in me confessor meus fuisse levior videbatur, quod ab illo praetermissum fuerat alter impleret; et interdum, fateor, putavi iudicium Dei esse, volentis ut, 85 cuius animum diutissime claudicantem ipse manibus suis erexerat, eius corpus de cetero claudicaret. Quae rite libranti

minime tristis aut misera censenda erat alternatio. Gratias ei qui mihi spem restituit te in proximo recto simul animo ac corpore revidendi. Ceterum haec tibi, amice, adhuc quod ipsa litterarum facies indicat, in grabatulo meo iacens scribo, 90 non ut doleas haec nobis accidisse, sed ut gaudeas me et haec aequo tulisse animo et multo graviora laturum esse, si ingruerint. Tu vive feliciter, et vale nostri memor. Romae, IIII. Nonas Novembris, silentio noctis intempestae [1350].

Iohanni Aretino. Fam. xi. 3.

ROOGAS, immo vero debiti mei admones, ut huius iunioris Iacobi de Carraria viri optimi optimeque de nobis meriti, qui nuper Patavii dominus dictus est, re autem ipsa nihil minus quam dominus nec magis quam verissimus patriae pater fuit, laudes atque fortunam stilo amplexus, hinc aliquid 5 ad te scribam amoris scilicet moerorisque participem. . . . [Such a panegyric would win the universal approval of Italy because of the many virtues of this prince.] Accedit indignae atque insolitae genus mortis, et in qua fides apertissima vulgato illi proverbio quaereretur; alienae dominum fieri quemlibet vitae 10 propriae contemptorem. Tam repente enim, mediis licet in penetralibus augustissimae domus suae, ingenti procerum ac nobilium, amicorum custodumque sui corporis circumvallatus agmine, luce media, die festo securus et incautus in obseni ac desperati canis et, ne quid immanitatis abforet, eius canis quem 15 ad mensam suam illo die paverat assidueque pascebat, rabiem cruentosque nisus incidit, ut nullo unquam indigniori spectaculo oculos hominum pollutos rear. Cum enim ipsi qui scelus audivimus sic affecti sumus, quam miseri sunt quibus videre contigit mitissimum atque alio fine dignissimum illum virum 20 belluamque infamem ac pestiferam uno momento temporis unoque velut turbine correntes! Tam praeceps enim inopinumque malum fuit, tamque incredibilis adstantium stupor, ut fidissima pectora pro dilecti capitis salute mortem aequo

25 animo subitura, nihil illi pereunti tempestivae opis afferre potuerint, nisi ut pars exspirantem attolleret, pars infandum carnificem excarnificatum mille vulneribus conficeret. Heu impar sceleri vindicta, heu nimium par exitus imparium spirituum et in diversa pergentium! . . . [He has so far restrained from writing on the life of Giacomo, because he still feels his loss too keenly.]

Nondum itaque de oblata mihi materia texere continuum aliquid ausus sum, et causam audisti. Ceterum omnis dies homini, etiam nunc morbis obnoxio, novum aliquod de ipsius 35 morte suspirium parit, ut, si cuncta litteris mandare velim, nil fere aliud acturus sim, ideoque ventis mandare consultius sit; interdum tamen et litteris, quale est illud quod cum nudius tertius digressurus Patavio ad memoriam revocassem rogatum me, ut, quod sine precibus debeo, illi caro et amato 40 cineri aliquod epigramma subscriberem, sed diem de die trahentem neglexisse, dolui mecum et erubui, quidquam omnino tam pio et tam debito obsequio praelatum. Cumque iam frequentes afforent qui me prosequerentur, et in primis promissa reposcerent, quae nec negari pudor sineret nec 45 tempus impleri, quid facerem? Coepi impetu si quo modo possem addere calcar ingenio; profectusque cum paucis ad sepulcri locum, quasi licentiam, quam a vivente consueveram, ab exanimi percepturus. Intempestiva hora diei erat, obseratisque templi foribus et meridianibus aedituis, vix admissus, 50 iussis exspectare comitibus, accessi solus ad tumulum sedique iuxta, et non responsuris ossibus verba dedi. Illic ergo pro tempore brevissimam moram trahens, non sine lacrimis sexdecim elegos dictavi ardore magis animi quam studio aut ratione artis adiutus, tradidique exspectantibus amicis vix ad exitum 55 perductos, atque abii, hortatus ut si nihil aut illis aut mihi interim melius occurrisset, ex his si quid placeret eligerent, arbitratu suo, incidendum marmori, ad quod poliendum insignis nunc artificum desudat industria. Vale. iv. Idus Maias [1351].

Iohanni De Certaldo. Fam. xi. 6.

*habet
lauream.*

IAM vero proximiora dixerim quae leguntur in fabulis, amatam Phoebo virginem obriguisse cursu medio, et dum pedibus tangere terram putat, subitis radicibus inhaesisse. Certe et ego, quod nesciebam, pro mobilium obsequio pedum, tenacissimas interdum radices habeo. Promiseram tibi me⁵ Patavio digressurum ad xiv. Kalendas Maias; vix v. Nonas inde digressus, loquor impropriæ, immo vero divulsus sum. Veronæ biduum aut triduum agere decreveram; hic quoque iam procrastinando prope circumactus est mensis, et quamvis hac præsertim parte anni peramoena civitas sit, non sine taedio.¹⁰ Non haec mihi requies fuit ad alia festinanti; sed indulgentissimi amici blandis precum compedibus explicari hactenus non potui; qui mihi paene quotidianus est cárcer. Etsi enim amicorum nihil affectu et pietate dulcius habeam aut sperem, saepe tamen arctius me diligi quam otio meo expeditat, questus¹⁵ sum querarque, si vixero. Hinc discedens hoc ipso die Mantuam peto, famosam Virgilii nostri matrem. Ibi me similis laqueus alter manet, sed, ni fallor, facilius dissolvendus. Parmae superioris amici frena non habebo; tanta brevis rerum mutatio incessit. In ceteris inde totius viae urbibus atque²⁰ oppidis negotii nihil.

Itaque confestim, si vita comes fuerit, e Transalpino rure nostro ad te iterum scribam, neque deinceps alias prius ex me litteras exspectes quam quae pervenisse me nuntient. Illic sane quamdiu ipsa, quae res et consilia nostra rotat, modum statuet²⁵ fortuna, ego quidem, quod non tibi tantum tali amico, sed vulgo etiam notum reor, excussis libratisque omnibus, si ex alto datum esset, optarem in eo rure quidquid est vitae quod restat exigere. Etsi enim loco illi multa desint quibus voluptas eget urbsque affluit, illa tamen adsunt quibus urbs caret qui-³⁰ busque ego maxime delector, libertas, otium, silentium, solitudo. Duo ibi sunt, fateor, adversa animo; et quod ab Italia locus abest, ad quam me naturalis motus attrahit, et

quod vicina est nimis Babylon haec occidentalis, rerum pessima
 35 Ereboque simillima, unde me natura itidem dehortatur ac
 retrahit mea; ferrem tamen utrumque amara dulcibus leniens.
 Sed alia quaedam sunt quae refugiunt stilum, ex quibus mihi
 illic moram profecto brevissimam auguror, nisi quid novi
 forsan inciderit; quod ipsum quale suspicer ignoro. Id scio,
 40 nihil omnino non posse homini contingere, animali caduco
 prorsus ac mortali, licet inter miserias insolenti.

Latet ergo rerum exitus; praesens propositum animi non
 latet, quod et tibi et nostris non ignotum velim. Romanum
 nempe Pontificem, quem ad ripam Tiberis quaerere consue-
 45 verant patres nostri, nos ad ripam Rhodani quaerimus; quae-
 rent nepotes forsitan ad ripam Tagi, ut pateat nihil esse quod
 non confundat ac transferat longa dies, et ad occasum omnia
 properare. De hoc tamen sanctus ille rigidusque piscator
 viderit, qui cum Rhodanum sciret, nec Tagum certe nec
 50 Sequanam ignoraret, naviculam tamen ac retia Tiberino fixit
 in gurgite; ille, inquam, viderit cuius cymba nunc procellis
 agitur, cuius navalia deseruntur; viderint qui ad gubernaculum
 sedent. Nos vectores sumus, aestu rapimur, fortunae parti-
 cipes, non culpae. Illum ergo nunc, quia ubi vellem nequeo,
 55 ubi possum quaerere est animus, simul ac sparsas dulcium
 reliquias amicorum; cumque omnibus supremum vale dixero,
 crudeles terras et avarum vere litus effugere, atque in praefato
 rure nostro, quod procul inde quindecim passuum millibus ad
 60 praclarum ac sonorum Sorgiae fontem latet, inter silvas ac
 flumina interque libellos varios, qui ibidem sub rustico custode
 vincti et taciti iam me quadriennium exspectarunt, quod
 superfuerit aestatis solitaria quiete transigere; ne, si mox
 vestigia nota relegero, corpusculum hoc, continuis licet ab
 65 infantia laboribus exercitum, nimio forsan ardore conficiam;
 cui parco non ob aliud nisi quo diutius torqueam ac fatigem.
 Autumnus me revehet, ut spero, simul et libellos illos, bibli-
 thecae Italae quos inferre disposui.

Habes et de praeterito tarditatis meae causas, et de futuro

propositi mei summam, ne quid vel admirationis vel ambigu-
tatis obrepat. Reliquum est ut Senatui nostro, cui quid ⁷⁰
debeam nosti, nomen meum sedula devotione commendes;
ad haec et tres compatriotas nostros, optimos illos quidem ac
probatissimos amicos, quorum, quocumque ierim, vultus ac
verba circumfero, quosque consentientes in peregrinationes
longissimas mecum duco, salvere iubeas ore tuo, meis vocibus. 75
Vale. Kalendis Iunii, Veronae [1351].

Andreae Dandulo, Ducis Venetorum. Fam. xi. 8.

VT aliquid ad te scribam, inclyte Dux, hinc mea fides,
hinc humanitas tua suggerit, illinc rerum praesentium
ac temporum status cogit. Haec quidem praestat ut loqui
velim, haec ut audeam, ille autem ut tacere nequeam. . . .
[His feelings are so intense that he cannot keep silence.] Sed ut 5
totius humani generis lamenta praeteream, Italicus homo ad
Italicam querelam venio. Surgitis nunc ad arma duo poten-
tissimi populi, duae florentissimae urbes, duo, ut dicam breviter,
Italiae lumina, quae, ut mihi quidem videtur, peropportune
adeo hinc illinc, circum Ausonii orbis claustra distribuit ¹⁰
natura parens, ut vobis ad Arcton et ad ortum solis, illis ad
Meridiem et ad Occasum versis, vobis superum, illis inferum
mare frenantibus, post debilitatum inclinatumque iam, ne
dicam prostratum, prorsus et extinctum Romanum Imperium,
adhuc reginam | Italiam quadripartitus orbis agnosceret. De ¹⁵
qua re, etsi quarumdam forte gentium superbia in terris litem
factura videatur, in alto certe nullius unquam impudentia
controversiam movebit. Ceterum si in vosmetipsos, quod
nedum spectare, sed ominari horreo, victricia nunc arma
convertitis, haud dubie vestris propriis manibus saucii perimus; ²⁰
vestris propriis manibus spoliati et nomen et multis quaesitum
laboribus imperium maris amittimus. . . . [He is alarmed by
the ignorance and imprudence of the younger generation.]

Sollicitum fateor atque attonitum me habet patriae tuae

25 status. De te quid dicam? Cuius enim gloriae gratulor, si compatiō labori parum ipse mihi consentiam, ingenio tuo non compati non possum. Sentio namque quid intersit inter armorum strepitum et Pieriam quietem, quamque tenuiter inter Martis tubas plectrum sonet Apollinis. Quia vero nihil
 30 patriae negare potes, quae de te sic in pace merita est, ut eam nec belli taedio nec mortis terrore desereres, sed relicto tantisper Helicone ac feriantibus libellis, secutus es publici fati viam, et grati civis et boni viri et egregii ducis officio functus es, ita tamen, ut armatus pacem cogites, pacem ames, atque
 35 ita persuasum habeas nullos te triumphos clariores, nulla opimiora patriae spolia referre posse quam pacem. . . . [Even Hannibal spoke in praise of peace.] Quid autem pace iucundius? Quid felicius? Quid dulcius? Quid vero sine pace vita hominum, nisi periculum pavorque perpetuus ac tristis
 40 curarum immortalium officina? Quaenam ista voluptas, oro, est sub dio pernoctare, classico somnum frangere, corpus lorica atque, ut ait Maro, canitiem galea premere, ferreis semper vinclis arctatum, mori subito, et quae ultima virorum fortium cura est, inhumatum abiici? Iuvat mordaci sollicitudine,
 45 iuvat metu et odio miserum cor atterere, et his studiis incertum huius brevissimae vitae tempus impendere? Siccine tutum est cum pelago simul et cum hoste certare, hoc est gemina pariter cum morte luctari?

Nemo enim, quaeso, vos fallat, cum asperrima atque in-
 50 victissima, et quod tristius dico, cum Italica gente bellum geritis. Vtinam inimicae urbes vobis essent Damascus aut Susa, utinam Memphis potius aut Smyrna, quam Ianua! Vtinam adversus Persas aut Arabes, utinam adversus Thracas aut Illyricos pugnaretis! Nunc vero quid agitis? Si qua
 55 Latini nominis reverentia est, quos delere molimini, fratres sunt; et heu! non tantum apud Thebas fraternalē acies, sed per Italiam instruuntur, amicis flebile, laetum hostibus spectaculum. Quis autem belli finis, ubi, seu victores fueritis, seu victi (anceps est enim alea fortunae), necesse est

ut alterum e duobus Italiae luminibus extinguitur, obscu- 60
 retur alterum? De tanto enim hoste incruentam sperare
 victoriam, vide ne non tam generosae fiduciae, quam incuriosae
 dementiae signum sit. . . . [He appeals to the Genoese as well,
though his letter is addressed to a Venetian.] De vulneribus
 quae parantur, non Numantinus aut Poenus, sed Italicus 65
 sanguis fluet, et eorum, qui, si qua repentina vis ingruat, aut
 si qua barbaries, quod interdum sed nunquam gratis ausa sit,
 fines nostros irrumpat, primi vobiscum arma pro communium
 fortunarum defensione suscipient, qui simul pectora sua morti
 atque hostilibus telis obiciunt, qui et vestris tegentur et 70
 vos clipeis et corporibus suis tegent, qui profugos hostes
 classibus prosequentur, pariter vivent, pariter morientur,
 pariter pugnabunt, pariter triumphabunt. Tales igitur hos
 viros propter levis forsitan iracundiae stimulos invadere, et
 quamquam impune possis evertere, quid delectationis habeat 75
 non intelligo. . . . [Revenge befits beasts rather than men! He
counsels Dandolo to consult the old and wise; though some men,
like Dandolo himself, are wise beyond their years. As Doge, the
chief responsibility falls upon him.]

Quanto autem cum dolore, ne quid omnino tibi subtraham, 80
 audivisse me putas recens vobis cum Aragonum rege foedus
 initum? Ergone ab Italos ad Italos evertendos barbarorum
 regum poscuntur auxilia? Vnde infelix opem speret Italia,
 si parum est, quod certatim a filiis mater colenda discepitur,
 nisi ad publicum parricidium alienigenae concitentur? Dicit 85
 aliquis, idem malii genus prius ab hoste tentatum. Iam dixi,
 etsi unum alloquor, utrumque redarguo. Quanto dignius
 fuerat irarum detersa rubigine, a qua non ullius amicitiae
 sinceritas, non fraternus amor, non suprema demum parentis
 ac natorum pietas prorsus immunis est, Venetos cum Ianuen- 90
 sibus unum fieri, quam formosum corpus Italiae lacerari, vobis
 occidentalium, illis ut audio dextras orientalium tyrannorum
 in partem furoris implorantibus. O ferales et supervacuas
 cautelas! O malevolentiae genus ultimum, quod manu

95 propria non possis, ad id circumspicere quod irrites, et argumentum odii praebente vicinia vicinos scelerum subrogare ! Atqui multarum hinc iniuriarum fluxere primordia, dum, indigno et nescio unde prodeunte fastidio nostrarum rerum, in admirationem rapimur externarum, et iampridem consue-
100 tudine pestifera Italicam fidem barbaricae perfidiae post-
habemus. Insani qui in venalibus animis fidem quaerimus,
quam in propriis fratribus desperamus. Quo effectum est ut
iure optimo in has calamitates inciderimus, quas sero iam et
inefficaciter lamentamur. Postquam Alpes et maria, quibus
105 nos moenibus natura vallaverat, et interiectas obseratasque
divino munere claustrorum valvas, livoris, avaritiae super-
biaeque clavibus aperiendas duximus Cymbris, Hunnis, Pan-
noniis, Gallis, Teutonis, Hispanis. . . . [He reminds Dandolo
that Sparta refused to put out one of the 'eyes of Greece' and
110 to allow Athens to be destroyed.]

Hoc unum in finem coram duorum populorum ducibus
affusus et lacrimosus obsecro. Infesta manibus arma proiicie,
date dexteras, miscete oscula, animos animis, signis signa
coniungite. Sic navigantibus Oceanus et Euxini maris ostia
115 patebunt, nullusque regum aut populorum nisi venerabundus
occurret. Sic vos Indus, sic Britannus Aethiopsque permetuet.
Sic Taprobanem, sic Fortunatas Insulas famosamque sed in-
cognitam Thulen et omnem Australem atque Hyperboream
plagam securus vester nauta transsiliet ; modo invicem tuti
120 sitis, nil aliunde trepidandum est. Vale, ducum ac virorum
optime. Patavi, xv. Kalendas Aprilis, 1351.

Carolo IV, Augusto Imperatori Romanorum. Fam. xii. i.

OLIM tibi, princeps inclyte, quod famae tuae salutique
publicae convenire visum est, scripsi familiaritate quadam,
non tam de ingenio meo quam de moribus tuis sumpta fiducia.
Deinde autem mecum ipse reputans difficultates multas et
5 varias communibus votis oppositas, imperio fortunae, quae,

ut aiunt, omnibus imperat imperiis, nec dubitans ex adverso per te tuumque consilium fieri omnia quae humano consilio fieri possent, et oculis tuis et huic calamo plusquam annuas indutias dedi, quamquam non sine maerore animi tempus labi cernerem, et tranquillitatem multorum interim populorum ¹⁰ prolatando aut procrastinando differri. Sed difficultatum obice impossibilitati proximo, ut dixi, tarditatem excusabam.

Nunc tandem praeparante divina providentia vias tuas et fidelis populi salutem misericorditer ordinante, ita dispositus est Italiae tuae status, adeoque fervens exspectatio, ut dilationem ipsam, quae gloria primordiis intercessit, eidem providentiae adscribam potius quam fortunae, quo scilicet immensum exoptatissimi principis mora brevis ardorem publicum excitaret. Iam vero bonorum animos ardere amplius non posse tibi persuadeas velim; verendumque ne, quod natura rerum fert, incendio sensim tempor obrepatur, nisi generosis flammis, quas tuum nomen accedit, praesentiae tuae alimenta praebueris. Cum itaque, quod neminem omnino te melius nosse reor, eo res perducta sit ut neque maiestas tua, salva gloria, Caesareum differre possit adventum, neque mea devotio, ²⁵ illaesa fide, coeptum diutius tenere silentium; loquor ecce iterum ad dominum meum, et, nisi piget, ad cunctorum dominum loquor, simplicitate quantalibet, sed fide purissima. Et loquor non novi aliquid, sed quod notissimum tibi et ab omnibus amicis Imperii Romani vel consultum iri scio. Non ³⁰ enim id ago ut doceam, sed ut mea fides suo fungatur officio; ideoque rem non nitor adornare coloribus, sciens ut coloratis fictisque mendacium, sic veritatem apertis ac simplicibus delectari. Simpliciter igitur et aperte pro honore Imperii, pro salute Italiae, pro consolatione urbis Romae, desolatissimae ³⁵ sponsae tuae, pro amicorum studio, pro subiectorum commodis, pro quiete laborantium Christianorum, pro maturando negotio Terrae Sanctae, pro adipiscendo in terris praeclarissimae ac immortalis famae paeconio, pro aeterna beatudine post huius fugacissimae vitae miserias promerenda, oro, precor, obsecro, ⁴⁰

toto nunc animo genibus tuis affusus, quatenus occasionem res maximas atque optimas gerendi coelitus oblatam incunctanter arripias, reiectisque curis omnibus, quae gressus tuos a tam pio itinere retrahunt, moram tollas, claris semper exordiis 45 nocitaram, ac tuo egentem auxilio quam primum invisere velis Ausoniam.

Optato succedunt omnia ; noli unus deesse fortunae ; quod si facias, ingens posteritatis odium nec minorem tibi conflaveris infamiam. Vix equidem optare, vix verbo exprimere potuisses 50 tam facilem fati viam. Putasne perpetuum hunc favorem ? Vt vehemens, sic volubile fatum est : non humano quidem ingenio sed suopte volvitur arbitrio ; nullus status, nulla facies rerum durat. Non tu idem semper eris, neque haec tibi semper occasio. Intelligis, providentissime princeps, non 55 tantum quid loquar, sed quid cogitem. Praesentem Tusciae statum vides ; ubi plurimum rebellionis avo tuo aliisque retro principibus fuit, illic tibi plurimum erit obsequii. Vtere rerum mutatione felicissima, sortemque tuam ne neglexeris. Brevitatem ac fugam vitae mortalis ante oculos habeto, et 60 instabilitatem rerum, et fortunae vim, cuius natura est ut audentibus atque sollicitis faveat, timidos pigrosque reiiciat, et, ut sapientibus placet, retro calva esse cum soleat, frontem habeat capillatum.

Pluraque scripsi olim, et plura nunc scriberem, nisi quia 65 sapientiae tuae etiam pauciora sufficient, et devotioni meae utcumque hoc breviloquio satisfactum est. Vale, magnanime Caesar, et propera. [Avignon, 1352.]

Barbato Sulmonensi. Fam. xii. 7.

DVM ad me, pars mei optima Barbate, litterae tuae longis anfractibus viam quaerunt, et in Gallis latitantem per Italiam sequuntur, annus prope integer circumactus est ; ita non solum nostro vivae vocis, sed mutuae etiam scripturae 5 solatio prohibemur. Hoc iuris in nobis habuit fortuna, ex quo

die nos intactos praeteriens glutinum nobis suavissimum atque dulcissimum inimica mors rapuit, regem Siculum, quo nihil maius, nihil ornatius tulerat aestas nostra. Ille qui nos vivens animo copulaverat, corpore disiunxit moriens, totumque propositum vitae nostrae moesta rerum mutatione p[ro]aevit. . . .¹⁰
 [The laws of nature cannot be changed, and we must control our grief.]

Id quidem quod non in ultimis adversitatum numeras, ut me Romae non inveneris, divinitus factum reor, ne, si congregellicuisset, non temp[or]a Dei devotione catholica, sed urbis¹⁵ ambitum lustraremus curiositate poetica, non animae curam agentes, sed negotium litterarium; quod licet sit iucundissimum pabulum intellectus, nisi tamen ad unum verum finem redigatur, infinitum quidem et inane est. Poteras sane, si tarditatis meae meminisses, mentis augurio p[re]aevidere, quod²⁰ me Romam non Iubilaei principium, sed finis adduceret.

Quod ipsum petitioni tuae responsum sit, ut scias, me de *Africa* nostra, quam iure tuo postulas, non mutasse consilium; si enim unquam in lucem veniet, noli de fide promissi dubitare; tuum ante omnia limen petet. Verum illa et morositate²⁵ hospitis et innumeris fortunae repagulis detinetur. Quae si cuncta cessarent, tum satius visum est, illam domi manere et cum aetate concoqui ac maturescere, ne, si ante tempus exisset, pomorum more quae immatura ramis decerpuntur, asperior evaderet, nec ferret aetatem; praesertim cum nec redditus³⁰ esset semel in publicum egressae, et ingenii mei incredibilis mutatio in dies fieret. Dehinc forte aliud consilii capiam, incumbamque lima ultima; nam et multa quae remorabantur ablata sunt, et ego, ni fallor, iam sum quidquid ut essem ex alto permissum erat; quamvis usque ad novissimum vitae³⁵ diem progredi non desinam, quantum sinar, nec desperem pigro etiam magisterio senectutis doctior ac melior fieri, quotidieque aliquid addiscens senescere. Si quo forsitan studio coaptare mihi valeam quod de se ipso senex ille sapientissimus gloriatur, nitar certe. Idque liberius me facturum, feliciusque⁴⁰

successurum spero, cum passiones ex animo radicitus avulsae fuerint, penitusque omnes exaruerint, quibus iam, Deo gratias, interpellor parcius. Reliquum est ut quod in terrena urbe nequivimus, nos in coelesti Ierusalem, si aliter non sini-
45 mur, videamus. Vale. x. Kalendas Martias, super flumina Babylonis [1352].

Matthaeo Longo Archidiacono. Fam. xii. 17.

CANIS tuus pice nigrior, vento levior, cane fidelior, te digresso substitit 'erravitque via', quod de Creusa Virgilius ait; nam quod sequitur, 'lassum resedisse', non suspicor. Nullus eum cursus, nulla difficultas, viarum asperitas 5 nulla lassaret, qui volucrem soleat ac pendentem in aere leporem incredibili celeritate preevertere. Generosa quidem animalia labor alit, immodica quies necat. Sic igitur errore procul dubio, non labore retractus ex itinere, et amissis indiciis, qua te sequeretur ignorans, quid moestissimus ageret? Iret 10 in silvas victim sibi proprio studio quaesiturus? Facile id quidem nulloque poterat labore, nisi natura parens obstitisset, quae est ut hoc animal procul ab homine non vivat. . . . [*He relates some stories of the fidelity of dogs.*] Te igitur amisso, quo sese verteret canis tuus, qui naturae dominique memor hinc 15 solitudinem horreret, hinc alienigenae cuiuslibet dignaretur imperia? Quod unum restabat misero, notam domum repetiit, ubi sub te laete vixerat, et quo laudati cursus palmam saepe 20 retulerat, saepe cruentos capreolos leporesque remiserat. Nec ullo tuorum illic reperto, clauso ostio miserabiliter insultans, omnium adstantium misericordiam tuique desiderium ex- 25 citavit. Tum primum damna nostra sentire coepimus, teque, quem praesentem putabamus, abesse perpendimus. Ut me autem ille conspexit, infremuit, mox tremula blanditiis cauda vocantem sponte consequitur. Nunc mecum vadit in silvas,

laetus tamen quod fortuna illum ad amicum limen appulerit.
Vale. Ad fontem Sorgiae viii. Kalendas Septembbris [1347 ?].

Raynaldo Veronensi. Fam. xiii. 2.

ADOLESCENS quem ad te misi, quam mihi sit iunctus sanguine puto tibi non ignotum, nisi forte subitum eius incrementum, quod in aetate sua saepe accidit, tibi discipuli tui notitiam abstulerit. Hunc si nosti, ne illud quidem, quam mihi sit carus, aut quam bonum fieri cupiam, ignoras. Is 5 quidem a scholis tuis fato suo tener admodum abstractus, apud Gibertum Parmensem, non ignobilem grammaticum, aliquantulum temporis exegit. Ingenio, ut suspicor, non malo (iudicare enim nequeo), ita sive vultus mei praesentia, sive ignorantiae suae conscientia turbatur, ut sub oculis meis semper obstinatum 10 teneat silentium. Vnum est in quo me non patitur errare. Hominem nullum vidi magis a litteris abhorrentem ; neminem odit aut metuit praeter librum ; illum unicum hostem habet. Male, inquies, incepisti. Male, inquam, sed vere ; neque enim heroicum carmen in manibus est. Non egregium adolescentem 15 describere est animus, sed nostrum. Parmae ac Veronae et interdum Patavii altus est. Saepe ego secum mordaciter iocari soleo : ‘ vide ne famam suam Virgilio eripias vicino tuo.’ Ille autem oculos in terram deiiciens subito rubore perfunditur ; hoc saltem simulare non potest. Vna igitur spes est ; vere- 20 cundissimus videtur et adhuc cereus est et aptus ad omnem habitum pro arbitrio praeceptoris inflecti.

Hoc sibi super cetera incommodum accedit, quod in ipso confinio libertatis me, quod miraberis, auctore Parmensi etiam gymnasio ereptus, ad Curiam, quae Romana dicitur, mecum 25 venit, ubi prope iam annum perdidit. Irreparabilis, fateor, iactura ; sed, si culpa est, ego culpandus qui id volui ; non quod mihi placeret illud Horatii : Quaerenda pecunia primum ; Virtus post nummos, sed verebar ne, si quid mihi humanitus

30 accidisset, meo praesidio destitutum saeva paupertas oppimeret, studiosorum hostis, atque emergere volentibus obstaculum non minus quam immensae divitiae; sive etiam eo maius quod divitarum pondus abiicere possumus, si volumus (quod multi viri famosissimi fecerunt), egestatis sarcinam excutere non est
 35 in nostra potestate.^{c)} Hunc igitur mecum esse iussi, ut omnibus praesens horis, meque conditionis suae admonens ac tacitus interpellans, conspectu suo tarditatem meam excitaret.

Adfuit humano pietas divina consilio. Itaque iam quantum satis est dives; canonicus Veronensis ad te reddit, cui prima debet
 40 pueritiae rudimenta. Excipe illum, quaeso, humanitate illa tua notissima, et insiste, si qua via est, ut tarde surgentium viatorum more matutini temporis iacturam meridiana festinatione restauret. Quid ulterius dicam? Dono hunc hominem tibi, quem meliorem mihi restitues, ut spero; quod Socrates
 45 promisit Aeschini; id ut libentius praestes, dicam quod Philippus Aristoteli. Gaudeo equidem et ego hunc tua aetate natum esse, qui per te aliquid fiat, si per hominem fieri potest; nec dissimulo me, dum sibi anxius invigilo cunctaque circumspicio, nil magis quam te tuasque virtutes intuentem, cum alia
 50 possem, Veronense illi habitaculum elegisse. Vale. Ad fontem Sorgiae, v. Idus Iunii [1352].

Cofa di Reenzo
Nicolao Laurentii Trib. Pop. Rom. Var. 40.

NON facile dici potest, optime vir, de eventibus coeptorum tuorum quam sollicitus quamque suspensus sim. Sic me Deus diligtat, ut quodammodo particeps mihi videor et periculi et laboris et gloriae. Et re vera nec volo dissimulare
 5 nec possum, ut contumaciter verbis disceptantium de rebus tuis quotiens fortuna me praesentem fecit tuas suscepimus partes. Nota loquor, et mihi populus testis, quanto semper favore animi quantoque studio adversus oblatrantes de tribunatus tui iustitia et de intentione et sinceritate animi tui

disserui, nec retro nec ante respiciens, nec attendens quos 10 sermone pungerem, quos mulcerem. Multos mihi quos conciliaveram convictu, verbis alienavi, nec miratus sum. Sciebam enim verissimum Terentianum esse illud, 'obsequium amicos, veritas odium parit,' nec multi facere quis me accuset, si absolvit conscientia.

15

Haec praefare libuit, ne forte frequentiam litterarum et sedulitatem in me supervacuam mirareris; neque enim ut absens et de longinquu finem spectans, sed in acie media praesens sum, vel victurus ingenti proelio vel vincendus, ideoque et dies curis et quies turbatur in somnis, et dormiens 20 et vigilans labore, et quietem nulla pars mihi temporis largitur. In hoc statu unum mihi solatii genus est calamus; ut illum in manibus habeo, tecum sum, loqui incipio non quod dictu pulchrius, sed quod prius occurrit, neque tam coloribus sermonum studio, quam ut stilo quolibet in auribus tuis animi 25 mei curas, et praegravatum pectus exonerem. Quae cum ita sint, epistolas meas sic excipies, ut ab eis exspectes potius familiare colloquium, quam dictamen elegans rerum tuarum. Curis anxius hoc per diem, hoc per noctem cogito, et quoniam memoria fugax et volubilis est, ne confessim evanescat, litteris 30 eam tenacibus illaqueo, et diurnos quidem cogitatus fero domum repetens, nocturnos mane consurgens scribo; neque si impetum sequerer, dies ulla sine litteris praeteriret.

Quid autem de te proxima nocte, nescio an pervigil an semisopitus, cogitaverim an viderim, dicam. Videbar te videre 35 in medio et altissimo mundi loco tam supremo praerupti montis vertice, ut prope coelum tangeres. Quidquid de nostris montibus videram, quidquid de peregrinis audieram seu legeram, planities deiecta videbatur; ipse cantatus utriusque linguae vatibus Olympus humillimus collis erat. Nubes longe sub 40 pedibus sed non multo super verticem ferebatur. Caterva te virorum fortium stipabat, tu medius et cunctis sublimior sedebas radianti solio, tanto mortali specie augustior atque fulgentior, ut ipsi et Phoebo movisse videreris invidiam.

45 Volvebar in circuitu et ecce tantus populus sub oculis meis erat ut eum nec metiri animo possem, et quasi p[re]stupore deficerem. Percunctabar attonitus unum ex iis qui proximi constiterant, quidnam miri quidve' praestigii viderem; neque enim reor unquam potuisse vigesimam illius populi partem 50 terras incolere. 'Nec fallebaris', respondit ille; 'non enim hic praesentis tantum sed omnis venturi aevi populum convenisse noveris, illius imperio in cuius manu omnis mundi pars, omne genus hominum, omnis temporum cursus est.'

'Et quid hic? Nunquam homines tam intenti fuerunt.'

55 'Eventum,' inquit, 'viri illius exspectant' et ad te oculos erexit, 'de quo, ut vides, non terra solum, sed coelum ipsum atque astra dissentunt.' Et his addidit: 'Audisne murmur aethereum?' Intendi aurem, et ecce velut adventante procella tonitruum raucum de nube longinqua. 'Mars,' inquit, 60 'fulmen minatur, sed Iuppiter est tranquillus.' 'Et quid putas,' inquam, 'quis huius tantae exspectationis exitus?' 'Deus,' inquit, 'solus novit. Sed quisquis erit, latere non poterit nec sileri; omnis hic populus semper meminerit et loquetur. Quantum tamen humanis coniecturis praevide 65 licet, vivax et perennis erit huius viri gloria, modo ventos non timeat; nec timebit. Quid enim metuat cui fixum sit, si oporteat, pro virtute mori? Vnum vereor, ne quorumdam ex eis, qui secum in eiusdem cacumine montis sunt, fides titubet, oblique nimis aliena cernentium, eorum scilicet qui 70 ad praeminentiam non rectis tramitis aspirant, et destructo illo se solium eius invasuros putant. Sed falluntur. Si inde sibi caverit, tutus erit.' 'Heu!' inquam, 'ulline hominum tam ferox inhumanitas sit, ut quo duce ad tantum gloriae culmen ascenderit, de illius cogitet ruina? Quid, Deus bone, 75 amentiae, quid furoris sospitatem suum non ut se ipsum salvum cupere? Quid autem illi, si unus hic, quod Omnipotens avertat, rueret, quid agent? Quo duce consistent? Vno verbo, quo usque miseri nos, praincipites post ipsum ruent.' 'Sic enim,' inquit, 'livor, quo in orbem terrarum

mors introit, caecus est, ne cum dolore impulsus alteri nocet, 80
 sua damna circumspicit. Melius tamen spero evasurum omnes
 fortunae laqueos, quia cum illo Deus est.' Post hoc audiendi
 avidum linquebat. Ego autem manu prehendens, 'quo,'
 inquam, 'properas ?' 'Nocte,' inquit, 'fugiente festino.'
 Et ego : 'hoc saltem mihi ne subtrahas ; quis hominem hunc 85
 tam alte labor extulit, quod studium, quae fortuna ?' At
 ille Virgiliano versiculo elegantissimo fretus in tempore, 'ex
 paucis,' inquit, 'est quos aequus amavit Iuppiter aut ardens
 evexit ad aethera virtus'. Hoc dicens, aurora iam rutilante,
 disparuit. Et ego vel ad me reversus vel experrectus sum. 90
 Vale, vindex libertatis unice. [1347.]

Francisco Priori Sanctorum Apostolorum.
Fam. xiii. 6.

[Quid exspectas . . .] [P. says he is engaged on no serious work at the moment, but is distracted by a thousand small annoyances due to his continual changes of residence.]

Poesis, divinum munus et paucorum hominum, iam vulgari,
 ne profanari dicam ac prostitui, coepit. Nihil est quod in- 5
 dignantius feram. Tu, amice, si stomachum tuum novi, ferre
 indignitatem hanc nullo posses modo. Nunquam Athenis aut
 Romae, nunquam Homeri Virgiliique temporibus tantus sermo
 de vatibus fuit, quantus est ad ripam Rhodani aetate hac ;
 cum tamen [n]ullo unquam loco aut tempore tam nullam rei 10
 huius notitiam fuisse arbitrer. Volo bilem risu lenias, et
 discas inter tristia iocari.

Venit ad Curiam nuper, immo vero non venit sed captivus
 ductus est, Nicolaus Laurentii, olim late formidatus tribunus
 urbis Romae, nunc omnium hominum miserrimus, et quod 15
 extremum mali genus est, nescio an, ut valde miser, sic minime
 miserabilis, qui cum in Capitolio tanta cum gloria mori posset,
 Bohemicum et mox Lemonicensem carcerem subire, tanto suo

et Romani nominis ac reipublicae ludibrio, sustinuit. In quo
 20 laudando monendoque quantus hic calamus fuerit, notius est
 forte quam vellem. Amabam virtutem, laudabam propositum,
 mirabarque animum viri; gratulabar Italiae, almae urbis
 imperium, mundi totius requiem praevidebam. Tot ex
 radicibus oriens gaudium dissimulare non poteram, videbarque
 25 mihi totius gloriae particeps, si currenti sibi stimulos addidisse,
 quos, ut nuntii eius testabantur et litterae, in verbis meis
 acutissimos sentiebat. Tanto ego magis ardebam acuebamque
 animum, si quid excogitare possem quod fervens illud ingenium
 inflammaret; et qui probe nossem nulla re magis quam gloria
 30 et laudibus generosum pectus inardescere, inserebam laudes
 magnificas et multorum forte iudicio nimias, sed mea opinione
 verissimas, praeteritumque commendans, hortabar ad reliqua.
 Exstant aliquot meae ad illum epistolae, quarum me hodie
 non penitus pudet. Divinare enim non soleo; atque utinam
 35 nec ipse etiam divinasset. Profecto autem quod, dum scri-
 berem, agebat acturusque videbatur, non mea tantum sed
 totius humani generis laude et admiratione dignissimum erat.
 An tamen ob hoc unum eradendae sint, nescio, quod turpiter
 vivere maluit quam honeste mori. Sed de impossibilibus non
 40 est consultatio. Etsi enim delere illa valde velim, non potero;
 in publicum egressae mei iuris esse desierunt.

Itaque coeptum sequor. Intravit Curiam humilis atque
 contemptus is qui malos orbe toto tremefecit ac terruit, bonos
 spe laetissima atque exspectatione complevit; et universo
 45 quondam populo Romano Italicarumque urbium primatisbus
 comitatus, nunc duobus hinc illinc stipatus satellitibus ibat
 infelix plebe obvia videndique aida faciem eius, cuius modo
 tam clarum nomen audierat. Erat autem a Romano rege ad
 Romanum pontificem missus. O mirum commercium! . . .
 50 [Cola's fall was due to his lack of sternness in dealing with his
 enemies, as P. himself had warned him at the time.] Venit
 autem non vinctus; hoc unum defuit publico pudori; ceterum
 eo habitu ut spei nihil esset in fuga. Inque ipso civitatis

ingressu de me quae sivit infelix, an in Curia essem, seu opem forte aliquam ex me sperans, quae in me, quod ego quidem 55 noverim, nulla est, seu sola veteris eisque ipsis in locis contractae olim amicitiae memoria. Nunc ergo viri salus, de cuius manu tot populorum salus incolumitasque pendebant, de manibus pendet alienis. Vita simul et fama eius in ambiguo sunt... [*But virtue ought not to fear death or ill-repute.*] Vtinam 60 non ipse suum decus vel desidia vel mutatione propositi deformasset. Nil sibi nisi in corpore ab hac sententia metuendum esset. Quamvis ne nunc quidem ullum inde sibi famae discriminem impendeat apud eos, qui veram gloriam falsumque dedecus non opinione vulgari sed quibusdam certioribus suis notis examinant, et eventus virorum illustrium virtutis non fortunae iudicio metiuntur. Quod ita esse ex obiecti criminis qualitate perpenditur. Nihil enim ex eis quae bonis omnibus in illo viro displicent arguitur, neque omnino finis sed principii reus est. Non sibi obiicitur quod 70 malis adhaeserit, quod libertatem destituerit, quod e Capitolio fugerit, cum nusquam honestius vivere, nusquam gloriosius mori posset. Quid ergo? Illud unum sibi crimen opponitur unde, si condemnatus fuerit, non mihi quidem infamis sed aeterna decoratus gloria videbitur; quod scilicet cogitare 75 ausus sit ut salvam ac liberam vellet esse rem publicam, et de Romano imperio deque Romanis potestatibus Romae agi. O cruce vulturibusque dignum scelus! Civem Romanum (*Iuviae*) doluisse quod patriam suam iure omnium dominam, servam vilissimorum hominum videret! Haec certe criminis summa 80 est, hinc supplicium poscitur.

In hoc statu, ut iam tandem audias cur incepi habeasque quod rideas post dolorem, unam sibi relictam spem salutis amicorum litteris edidici, quod vulgo fama percrebuerit poetam illum esse clarissimum; itaque nefas videri talem et 85 tam sacro studio deditum hominem violare, illa quidem praeclera sententia iam in vulgus effusa, qua pro Aulo Licinio Archia praceptorre suo apud iudices usus est Cicero; quam

non apposui, quoniam orationem illam ab extrema olim
 90 Germania advectam, dum loca illa visendi ardore iuveniliter
 peragrarem, et anno altero in patriam vobis optantibus trans-
 missam, habetis studioseque legitis, quod in litteris inde
 venientibus recognosco. Quid vero nunc dicam? Gaudeo
 equidem et plusquam dici possit gratulor, tantum etiam nunc
 95 honorem Musis esse, quodque magis mireris, apud Musarum
 inscios, ut hominem alioquin ipsis iudicibus invisum, salvare
 possint solo nomine . . . [What more could have been hoped for
 even in the days of the Emperor Augustus?]

Si me tamen interrogas, Nicolaus Laurentii vir facun-
 100 dissimus est, et ad persuadendum efficax et ad oratoriam
 pronus, ^{propositum?} dictator quoque dulcis et lepidus, non multae quidem
 sed suavis colorataeque sententiae. Poetas, puto, qui com-
 muniter habentur, omnes legit; non tamen ideo magis est
poeta quam textor, ideo quod manibus alienis texta chlamyde
 105 induitur; et licet ad poetae nomen promerendum non sufficiat
 solum carmen, sitque verissimum illud Horatii: ‘neque enim
 concludere versum Dixeris esse satis, nec si quis scribat uti,
 nos Sermoni propiora, putas hunc esse poetam’. Iste tamen
nunquam vel unicum carmen, quod ad aures meas venerit,
 110 contexuit; neque enim ad id animum applicuit, sine quo
 nihil, quantumlibet facile, bene fit.

Hoc tibi notum facere placuit ut de assertoris olim publici
 fortuna doleas, de insperata gaudias salute, de salutis autem
 causa mecum pariter indignaris et rideas cogitesque, si, quod
 115 utinam accidat, sub clipeo poetico Nicolaus e tantis periculis
 evaserit, unde non evasurus esset Maro? Sed ille sub his
 iudicibus aliam ob causam periret, quia scilicet non poeta
 sed necromanticus haberetur. Dicam quod magis rideas.
 Ipse ego, quo nemo usquam divinationi inimicior fuit aut
 120 magiae, nonnunquam inter hos optimos rerum iudices propter
 Maronis amicitiam necromanticus dictus sum. En quo studia
 nostra dilapsa sunt! O nugas odibiles ridendasque! . . . [He
 describes the simplicity of a Cardinal, who thought every scribbler

worthy of the name of poet.] Tu vive feliciter et vale. Et nisi tibi aliter videtur, epistolam hodiernam hesternamque, post- 125 quam legeris, mitte Neapolim ad Zenobium nostrum, ut ipse Barbatusque meus, si forsan e portu Sulmonensi Parthenopaeas repetiit procellas, risum nostrum indignationemque participant. Ad fontem Sorgiae, iv. Idus Augusti [1352].

Francisco Priori Sanctorum Apostolorum. Fam. xiii. 8.

AD fontem Sorgiae aestatem ago; iam quod sequitur, tacito me licet, intelligis, sed si loqui iubes, brevibus expediam. Corpori meo bellum indixi. Ita me ille adiuvet, sine cuius opere succumberem, ut gula, ut venter, ut lingua, ut aures oculique mei saepe mihi non artus proprii, sed hostes 5 impii videntur. Multa quidem hinc mihi mala provenisse memini, praesertim ab oculis, qui ad omne praecipitium mei fuerunt duces. Hos ita conclusi, ut praeter coelum, montes ac fontes, fere nihil videant; non aurum, non gemmas, non ebur, non purpuram, non equos, nisi duos, eosque ipsos exiguos, qui 10 cum unico puero his me vallibus circumvectant.

Postremo nullius usquam mulieris, nisi villicae meae faciem, quam si videas, solitudinem Libycam aut Aethiopicam putas te videre; aridam penitus et vere solis ab ardoribus adustam faciem, cui nihil viroris, nihil succi inest, faciem qualem si 15 Tyndaris habuisset, Troia nunc etiam staret; si Lucretia et Virginia, nec regno Tarquinius pulsus esset, nec Appius vitam in carcere finivisset. Verum ne sibi post oris descriptionem dignas morum laudes substraham, quam fusca facies tam candidus est animus; magnum et ipsa nihil animo nocentis 20 feminae deformitatis exemplum; de quo forte aliquid dicerem, nisi quia circa Claranum suum abunde hunc articulum in epistolis prosecutus est Seneca. Hoc singularius habet villica mea, quod cum forma corporis femineum potius quam virile bonum sit, haec adeo formae iacturam non sentit, ut decere 25 illam putas esse deformem. Nihil fidelius, nihil humilius, nihil

operosius. Sub ardentissimo sole, vix cicadis aestum tolerantibus, totos dies agit in campis, et Cancrum et Leonem durata cute contemnit. Sero domum rediens anicula sic 30 indefessum rebus domesticis adhibet invictumque corpusculum, ut e thalamo venientem iuvenem dicas; nullum interea murmur, nullae querimoniae, nullum turbatae mentis indicium, sed viri et natorum et familiae meae venientiumque ad me hospitum incredibilis cura, incredibilisque contemptus sui 35 dumtaxat ipsius. Huic saxeae mulierculae instrata sarmentis terra cubiculum, huic prope terreus panis cibus, vinumque aceto similius lymphisque perdomitum potus est. Si quid mollius apponas, iam desuetudine longissima durum putat omne quod mulcet.

40 Sed satis multa de villica, quae nisi in agresti scriptura locum repertura non fuerat. Hoc modo igitur oculos castigo. Quid de auribus dicam? Cantus et tibiae et fidum dulcedo, quibus extra me ipsum rapi soleo, nulli sunt mihi; totam suavitatem illam aura dispersit. Hic nihil omnino, praeter raros boum 45 mugitus, aut balatus pecudum, praeter volucrum cantus continuumque murmur aquarum audio. Quid lingua, qua saepe me ipsum, interdum forte alios erexi? Nunc iacet ipsa et a mane saepe ad vesperam silet. Cui enim loquatur praeter me non habet. Iam vero gulam ventremque sic institui, ut 50 saepe bubulci mei panis et mihi sufficiat et saepe etiam delectet, et niveum aliunde mihi allatum famuli, qui tulere, manducent. Tam consuetudo mihi pro voluptate est. Itaque villicus meus, indulgentissimus familiaris, ipseque vir saxeus de nulla re 55 mecum litigat, nisi quod durior mihi sit victus, quam qui, ut dicit, diutius ferri queat. Ego contra sentio diutius talem victum tolerari posse quam mollem, quem magni taedii esse et quinque diebus continuari non posse, Satyricus ait. Vva, ficus, nuces et amygdalae deliciae meae sunt. Quibus hic fluvius abundat pisciculis delector, nunquam magis quam dum 60 capiuntur, quod studiose etiam inspicio, iuvatque iam hamos ac retia tractare.

Quid de vestibus, quid de calceis loquar? Mutata sunt omnia. Non ille meus habitus, meus, inquam, propter eximiam vanitatem, qua, salva, ni fallor, honestate et decoré servato, inter pares olim conspicu dulce fuit. Agricolam me seu pa- 65 storem dixeris, cum tamen adhuc et vestis exquisitor non desit, et mutati habitus nulla sit causa, nisi quia quod primum placuit, primum sordet. Soluta sunt quibus ligabar vincula, clausique quibus placere cupiebam oculi; et puto, si aperti essent, hodie solitum in me imperium non haberent. Meis 70 autem oculis nullo modo magis placeo quam solitus ac liber.

Quid de habitaculo dixerim? Catonis aut Fabricii domum putas, ubi cum cane unico et duobus tamen servis habito; ceteros in Italia dimisi omnes. Vtinam in via dimisissem, ad me nunquam reddituros, meae quietis unicam procellam. 75 Villicus autem contiguam habet domum, mihi semper praesto, dum usui est, et ne unquam obsequium vergat in taedium, parvo mox ostio secludendus. Hic mihi duos hortulos quaesivi tam ingenio propositoque meo consentaneos, ut nihil magis; quos si describere aggrediar, longus fiam. In summa vix simile aliquid reor habeat orbis terrarum; et, si femineam levitatem fateri oportet, tale quidquam esse extra Italiam indignor. Hunc Helicona nostrum Transalpinum vocitare soleo; est enim alte umbrosus solique studio aptus, et nostro sacer Apollini. Hic nascenti Sorgiae impendet, ultra quem nihil est 85 nisi rupes et avia, prorsus, nisi feris aut volucribus, inaccessa. Alter domui proximus et aspectui cultior et dilectus est Bromio; hic, mirum dictu, rapidissimi ac pulcherrimi amnis in medio est. Iuxta quem brevi tantum ponte disiuncta ultima domus in parte, testudo vivis ex lapidibus curvata 90 suspenditur, quae nunc coelo ardente sentiri vetat aestatem. Locus est qui ad studium accendat; augurorque, non ab- similis atrio illo ubi declamare solitus erat Cicero, nisi quod illud praeterlabentem Sorgiam non habebat. Sub hoc ergo meridies exigitur; mane in collibus, vesper in pratis vel aspe- 95 riore in hortulo ad fontem naturam vincentem artificio, ubi

locus est alta sub rupe ac mediis in undis, angustus quidem, sed plenus stimulis ardentibus, quibus piger licet animus in altissimas curas possit assurgere.

100 Quid vis? Possem forsan hic vivere nisi vel tam procul Italia, vel tam prope esset Avinio. Quid enim dissimulem geminam animi mollitiem? Illius me amor mulcet ac vellicat, huius me odium pungit etasperat, odorque gravissimus toti mundo pestifer, quid mirum si in vicinitate nimia unius parvi 105 ruris innocuam polluit puritatem? Ille me hinc pellet; sentio enim statum interim meum. Vide, nihil est quod metuam, nisi redditum ad urbes. Vale. [1352.]

*quæ
de a
del est te.*

Zenobio Grammatico Florentino. Fam. xv. 3.

SCIO te mirari et tecum dicere, ‘quibus hic terrarum militat oris,’ nisi forte ille noster alter ego re et nomine, qui nobis late vagantibus patriae nidum fovet, litteras ad se meas huius propemodum sententiae tibi e Florentia Parthenopem 5 miserit; quod si fecit, nequidquam tibi haec; sed quia occupationes suas metuo, et desiderium tuum novi, in dubio satius duxi horam unam perdere si supervacuum est quod scribo, quam necessariam subtrahere per temporis avaritiam status mei notitiam amico.

10 Vbi sim, quid cogitem, quid agam audieras, et fama fuit me procellas Curiae fugientem Italiam repetere, sedes ubi fata quietas ostendere videbantur. Dum ergo iam iter caperem Ianuam versus, nullam aliam ob causam nisi ut germanum unicum virtute mihi quam sanguine cariorem, qui praeter 15 viarum illarum locum solitarium atque silvestrem, cui Montani rivi nomen est, ad famulandum Christo tunsa penitus carne delegit, vel in transitu viderem lustro integro non visum, circa occiduum Italiae limitem, Varum amnem, bello iter interrupturn reperii Alpinis quibusdam gentibus armatis ad litus 20 effusis. Iis ego rumoribus simul et amicorum precibus permotus, mutato consilio flectere iter institui; iamque Geben-

nam petiturus, me vertebam ad laevam, dum ecce repentinus
imber omnia complevit; quamvis ante et post tanta coeli
terraeque siccitas fuerit, quantam vidimus, vix legimus.
Substi^tti anxius raroque unquam clarius vidi, quid sit illud,²⁵
'caro oneri timere' a Virgilio relatum. Erat mihi praedulcis
librorum sarcinula, et veterum libris immixtum pauxillum
nugarum mearum, quibus ipse quoque Memphiticos papyros
impleo, non quia illud agere sit optimum, sed quia illud nihil
agere difficile, pessimum, et praeterea impossibile mihi et³⁰
insolitum. In eo statu non tergo timebam ad omnia durato,
et ferre iampridem docto non tantum pluvias, verum glacies,
aestus et grandines, nulliusque iam laboris aut periculi inex-
perto; non timebam 'lateri et oneri' ut Aeneas, sed oneri
dumtaxat ut Metabus; fateor enim carae mihi sarcinulae³⁵
metuebam. Quid agerem? Omnia mecum, ut ait ille, ver-
santi visum est manifestam quodammodo prohibentis Dei
voluntatem esse, ne tunc irem; paene irreligiosa improbitas
est visa, si divinae prohibitioni quasi mei iuris incumberem.
Memorans ergo Cleantaeum illud: 'ducunt volentem fata,⁴⁰
nolentem trahunt,' cessi volens, ne invitus cederem, praemissis
in Italiam aliquot famulis non magis ut praesentia ibi sua rei
familiaris necessaria curarent, quam ut hic digressu suo solitu-
dinem mihi facerent laxiorem otiumque tranquillius. Vix
bene discesserant tantumque aberant ut iam nec revocandi⁴⁵
nec assequendi copia esset, et ecce subito reversa serenitas,
quae multis iam mensibus durat, multis ante duraverat et dura-
tura videtur, ni rector siderum consilium mutet, sive, quia
consilium Domini in aeternum manet, novis aliud ostendat
effectibus. Itaque quo magis cogito, eo magis in mentem⁵⁰
venit, Deo humanis periculis occurrente, terrestribus atque
coelestibus impedimentis frenatum forte desiderium meum,
quod in Italiam me trahebat. Nobis nempe quae cupimus
grata tantum, Deo etiam nota sunt. Quid ni autem ideo
opiner^{ta}lem uti patrum memoria nunquam fuit^{imbrem}⁵⁵ hoc
anno unicum in illum diem et in ipsam abitus mei horam

incidisse? Sic ergo cohibitus ad fontem Sorgiae diebus paucis postquam inde discesseram revertor . . . [One of his servants who had returned to Vaucluse reported that if P. returned to Italy, the claims of his many friends would leave him little time to himself. Therefore he has decided to remain at Vaucluse.]

Haec vita mea est. Media nocte consurgo; primo mane domo egredior, sed non aliter in campis quam domi studeo, cogito, lego, scribo; somnum quantum fieri potest ab oculis meis arceo, a corpore mollitem, ab animo voluptates, ab operatione torporem. Totis diebus aridos montes, roscidas valles atque antra circumeo. Vtramque Sorgiae ripam saepe remetior, nullo qui obstrepat obvio, nullo comite, nullo duce, nisi curis meis minus in dies acribus ac molestis . . . [He could 70 be contented in any surroundings, unless he were condemned to live in Avignon.] Ad fontem Sorgiae sum, ut dixi, et quando ita visum est fortunae, locum alium non requiro, nec faciam donec illa, quod crebro solet, varium mutet edictum. Interea 75 equidem hic mihi Romam, hic Athenas, hic patriam ipsam mente constituo. Hic omnes quos habeo amicos vel quos habui, nec tantum familiari convictu probatos et qui mecum vixerunt, sed qui multis ante me saeculis obierunt solo mihi cognitos beneficio litterarum, quorum sive res gestas atque animum, sive mores vitamque, sive linguam ingeniumque 80 miror, ex omnibus locis atque omni aevo in hanc exiguum vallem saepe contraho, cupidiusque cum illis versor quam cum iis qui sibi vivere videntur, quotiens rancidum nescio quid spirantes gelido in aere sui halitus vident vestigium. Sic liber ac securus vagor et talibus comitibus solus sum, quotiens 85 possum, mecum; sum saepe etiam tecum et illo viro optimo maximo, quem cum nunquam viderim, dictu mirum, omnibus horis video; apud quem, quaeso, nomen meum, dum tu secum loqui poteris, non senescat. Vale. Ad fontem Sorgiae, VIII. Kalendas Martias [1353].

*Talarando Ep. Albano et Guidoni Ep. Portuensi
Cardinalibus. Fam. xvi. I.*

SI ille Carthaginiensium primus terror, Marcus Atilius Regulus, magnum et anceps in Africa reipublicae negotium gerens, causam a senatu petendae missionis illam non erubuit litteris inserere, quod villicus suus, qui pauca sibi suburbani agri iugera coluerat, decessisset, quid erubescam ego privatus modicum, publici negotii nihil agens, a vobis, geminum decus Ecclesiae, missionem flagitare eandem ob causam, quod villicus quoque meus vobis non ignotus, qui mihi pauca itidem sicci ruris iugera colebat, hesterno die obiit? Neque enim vereor, ne quis vestrum nunc mihi respondeat, quod tunc senatus Atilio, iubeatque coeptis insistere, et in se curam deserti ruris excipiat. Illius enim ager Romae erat; meus ad fontem Sorgiae non nisi tenui vobis cognitus fama locus. Accedit quod maior quaedam mihi sollicitudinis causa est; neque enim, ut ille, incultae tantum telluri prospicio, sed sicut alter Africæ malleus, Gnaeus Scipio, ex Hispaniis, ubi felicissime rem gerebat, missionem poposcit, quod deesse diceret filiae suae dotem, sic ego ut duorum illustrissimorum ducum coeant in me unum causae, bibliothecae meae, quam mihi in filiam adoptavi, sentio deesse custodem.

20

Fuit enim villicus meus agrestis homo, sed plus quam civili providentia et urbanitate conditus; puto nullum illo fidelius animal terra protulit. Quid multa? Omnium iniquitatem perfidiamque servorum, de qua non solum quotidie verbo queror, sed scripto quandoque etiam questus sum, ille unus fide aequabat ac temperabat eximia. Itaque totum me illi et res meas librosque omnes, quos in Galliis habeo, commiseram, cumque omnis generis voluminum multa varietas, et quaedam ibi minutissima maximis intermixta essent, atque ego diu absens quandoque post terminum rediissem, nihil unquam non modo amotum, sed ne loco quidem motum reperi. Erat ille sine litteris amantissimus litterarum, et libros, quos mihi

25

30

noverat cariores, exactiori custodia conservabat ; iamque longo
usu eo pervenerat ut et nomine nosset opera veterum et mea
35 simul internosset opuscula. Totus hilarescebat quotiens sibi,
ut fit, librum aliquem in manibus posuisse, stringensque ad
pectus suspirabat. Nonnunquam submissa voce ipsius libri
compellabat auctorem, et, mirum dictu, solo librorum tactu
vel aspectu fieri sibi doctior atque felicior videbatur.

40 Hic igitur talis rerum mearum custos, quocum tribus iam
lustris curas partiri solitus, nec secus eo quam ut dici solet
Cereris sacerdote, nec aliter domo eius quam templo fidei usus
eram, et quem pridie imperantibus quidem vobis inde digressus
leviter aegrotantem dimisisse rebar, iam senior, sed, ut Maro
45 ait, cruda et viridi senectute, heri ad vesperam me dimisit ad
melioris domini translatus obsequia. Ille sibi post tot corporeos
labores unam animi requiem largiatur . . . [*He refers to his
servant's belief in the Christian faith.*] Vnus quidem e pueris
meis qui forte obeuntem illum viderat, cursu concito moestum
50 pertulit rumorem, et ad me sera iam nocte pervenit nuntians
illum exspirasse saepe me nomine vocantem, Christique nomen
cum lacrimis invocantem. Indolui, gravius dolitus, nisi quia
per aetatem hominis hunc mihi casum instare multo ante
praevideram. Ire igitur oportet; date veniam, queso,
55 gloriosissimi patres, supplicemque vestrum missum facite, urbi
supervacuum, necessarium ruri, ibique magis bibliothecae
sollicitum quam agelli. Opto vobis tranquillam ac felicem
vitam. Avinione, Nonis Ianuarii [1353].

Gherardo fratri. Fam. xvi. 2.

CENABAM forte apud sanctissimum atque optimum virum
Ildebrandinum, Patavinae praesulem Ecclesiae, qui tunc
civitatem illam multiplicibus virtutum radiis illustrabat, nunc
novum coelo sidus accessit, dum ecce duos tui ordinis priores
5 casus attulit, alterum Italicum, Transalpinum alterum ; hic
Casularum domus moderator erat, quae Albingaunis litoribus

impendet, ille Vallis Bonae, quae dextrae Rhodani ripae proxima est. Cum ergo eos episcopus suo more talium hospitum laetus adventu comiter excepisset, tractoque ad vesperum sermone multa percunctaretur, atque in primis quae illos ¹⁰ causa Patavium adduxisset, responderunt se missos ab ordine ut in territorio Tarvisino coenobium Carthusiense construerent, favente in primis episcopo atque aliis quibusdam civibus, loci illius bonis ac devotis viris. Quod opus qualiter hactenus successerit successurumve sit nescio. ¹⁵

Ceterum cum vir ille, cuius ut vita exemplaris, sic et doctrina et oratio sancta fuit, verbum e verbo eliciens, et inter alia tui quoque mentionem faciens, quam sorte ac vocatione tua contentus ageres quaesivisset, illi certatim materiam aggressi de te magnificos rumores retulerunt, nominatim unum; cum pestis ²⁰ haec, quae omnes terras ac maria pervagata est, ad vos ex ordine venisset, et castra in quibus Christo militas invasisset, priorque tuus, vir alioquin, ut ipse novi, sancti ardentesque propositi, tamen inopino malo territus hortaretur fugam, te illi christiane simul ac philosophice respondisse, placere con- ²⁵ silium, modo inaccessible morti locus aliquis usquam esset. Et cum ille nihilominus abeundum diceret, respondisse acrius, iret quo se dignum crederet; te in custodia tibi a Christo credita permansurum. Cumque iterum et iterum instaret, et inter terrores alios sepulchrum quoque tibi defuturum mina- ³⁰ retur, dixisse te illam tibi ex omnibus ultimam curam esse; neque enim tua interesse sed superstitione quali iaceas sepultura. Illum postremo cessisse ad penates patrios nec ita multo post morte illuc eum insequente subtractum, te vero incolumem, eo apud quem est fons vitae protegente, mansisse; et cum 35 diebus paucis mors quattuor et triginta qui illic erant abstulisset, solum in monasterio resedisse.

Illud addebant te nullo morbi contagio deterritum adstituisse fratribus tuis exspirantibus, et suprema verba atque oscula excipientem et gelida corpora lavantem, saepe uno die tres ⁴⁰ pluresve tuis manibus indefesso pietatis obsequio sepelisse et

exportasse tuis humeris, cum iam qui foderet aut qui iuxta morientibus exhiberet nemo esset. Solum te ad ultimum cum cane unico remansisse totis noctibus vigilantem, modica lucis 45 parte necessariae quieti data; cum interim praedones nocturni, quorum feracissima est regio, saepe per intempestae noctis silentia locum invadentes a te, immo a Christo qui tecum erat, nunc pacificis nunc acrioribus verbis exclusi, nihil damni sacris aedibus inferre potuerint. Cum vero transisset 50 aetas illa terribilis, misisse te ad proxima servorum Christi loca ut aliquis tibi loci tui custos mitteretur; quo facto ivisse Carthusiam, et ab illo religionis nunc cultore unico in terris, priore loci, inter tres et octoginta priores alienigenas, te non priorem singulari et insolito honore susceptum obtinuisse, ut 55 tibi prior ac monachi darentur, quos e diversis conventibus elegisses, quibus desertum morte tuorum monasterium reformares, teque hoc velut eximio triumpho laetissimum rediisse. Ita tua cura, tua sapientia, tua fide Montis Rivi venerandum olim, postea desertum, coenobium instauratum, interque 60 difficultates istas atque alias alias multas tibi et robur corporis solidum et valetudinem optimam constare, et quale religiosum decet formae decus.

Quae res me in stuporem ageret nisi scirem, ut ait quidam, viros sanctos virtutes etiam aedificasse [*sic*] corporeas; bona 65 equidem valetudo animi saepe valetudinem corporis viresque membrorum ac vultus speciem tuetur. Ceterum haec illis et alia de te multa narrantibus cum episcopus laetis lacrimis madens me aspiceret, et ego nescio an siccis oculis sed certe sicco corde non essem, illi subito in me versi seu divino monitu, 70 seu quodam mentis augurio in vultu me te cernentes pio me gemitu ac gaudio complexi. ‘O felix,’ inquiunt, ‘fratris pietate.’ Multa deinceps alia dixerunt quae tacendo melius expresserim. Tu vale; et propter quod haec omnia scripta sunt, fac obsecro, mi frater, ut qualem coepisti talem te 75 praestes in finem. [1352.]

Francisco Priori Sanctorum Apostolorum. Fam. xvi.
II, 12.

[Non solebat mihi tempus . . .] [With advancing age he has learnt to appreciate the value of time. He knows that Nelli is anxious to hear news of him.]

Itaque biennio iam in Galliis exacto revertebar, et cum Mediolanum pervenissem, maximus iste Italus iniecit manum 5 tam suaviter tantoque cum honore quantum nec merui nec speravi, verumque ut fatear, nec optavi. Excusassem occupationes turbaeque odium et quietis avidam naturam, nisi parantem loqui velut cuncta praesagiens praevenisset, et in maxima frequentissimaque urbe solitudinem ille mihi in primis 10 et otium promisisset, atque hactenus, quantum in eo est, promissa praestaret. Cessi igitur hac lege, ut de vita nihil, de habitaculo aliquid immutatum sit, idque non amplius quam quantum fieri potest illaesa libertate, salvo otio, quod quam diu futurum sit ignoro. Augurio breve erit, si eum, si me, si 15 utriusque curas longeque diversis occupationibus circumdatam vitam novi.

Habito interim in extremo urbis ad occiduam plagam secus Ambrosii Basilicam. Saluberrima domus est, laevum ad ecclesiae latus, quae ante se plumbeum templi pinnaculum 20 geminasque turres in ingressu, retro autem moenia urbis et frondentes late agros atque Alpes prospicit nivosas aestate iam exacta. Iucundissimum tamen ex omnibus spectaculum dixerim, quod aram, quam non, ut de Africano loquens Seneca, sepulchrum tanti viri fuisse suspicor, sed scio, imaginemque 25 eius summis parietibus extantem, quam illi viro simillimam fama fert, saepe venerabundus in saxo paene vivam spirantemque suspicio. Id mihi non leve pretium adventus; dici enim non potest quanta frontis auctoritas, quanta maiestas supercili, quanta tranquillitas oculorum; vox sola defuerit vivum ut 30 cernas Ambrosium. Haec hactenus. Huius autem morae spatium, cum primum mihi esse notum cooperit, tibi incogni-

tum non sinam. Vale. Mediolani, x. Kalendas Septembbris, ante lucem.

- 35 [In order to answer his friend's letter he is cutting down his hours of sleep.] ... Mihi quidem, amice, luculentissimus epistolae tuae tenor sole clarus animum scribentis ostendit. Anxius es, et rerum mearum torqueris eventibus ... [Whether his remaining in Milan is good or bad, he has but obeyed the law of necessity.] Quid enim agerem, quibus uterer verbis, quas quaererem fugas, quibus viis evaderem, quibus artibus tanti precatoris pondus excuterem, cui lentius obedire rebellare est? Scitum est illud Laberii in Iulium Caesarem: 'Etenim ipsi denegare cui nil potuerunt dei, hominem me denegare quis 45 posset pati?' Hoc mihi ad primam illius occurrit vocem, simul et illud non ignobile dictum, licet ab ignobili poeta: 'Est orare ducem species violenta iubendi, Et quasi nudato supplicat ense potens'. Illud equidem inter multa vehementius urgebat, et reverentiae meae stimulus et maiestati suae pondus accesserat, 50 quod ipse quoque vir esset ecclesiasticus, et quantum in tam excelso fortunae gradu fieri potest, devotissimus; cuius conversationem fugere vir honestus sine nota superbiae vix posset. Proinde quod mihi luctandi nunc etiam negandique vim abstulerit, etsi verecundius silentio premeretur, tibi tamen 55 tacitum nolim. Dum enim scrupulosius quaererem quid ex me vellet, cum ad nihil eorum quibus egere videtur aptus essem aut dispositus, nihil ex me velle respondit, nisi praesentiam meam solam, qua se suumque dominium crederet honestari. Hic fateor humanitate tanta victus erubui, tacui, 60 et tacendo consensi seu consensisse visus sum. Quid enim contra haec dicerem non fuit, vel certe non adfuit. Sed quid ago? Tam facile utinam vulgo persuadeam vera haec esse quam tibi. Quamquam, dii boni, quid est quod optare incipio? An oblitus propositi mei sum, vulgus ut libet, nos ut licet? 65 Vale. Mediolani, vi. Kalendas Septembbris, propere silentio noctis intempestae. [1353.]

Francisco Priori SS. Apostolorum. Var. 56.

[Solebant Romani consules . . .] [He gives an account of the 'Legati' under the Roman Republic. The name is to-day confined to the ambassadors of the Popes.]

His ante propositum decursis ad rem venio. Legatus iste de latere, qui iam solus mundo paciente nomen hoc habet, 5 xviii. Kalendas Octobris Mediolanum obvio domino et magna celebritate populi faventis ingressus est. Cui ego nescio qua recti confusione iudicii, ut me urbanum ostenderem, quod non sum, nec esse velim, neque si velim natura permittet mea, praegressus alios Ticinensi porta ad secundum forte lapidem ¹⁰ occurrens, didici, si non antea didicissem, quam sit rerum naturalium fragilis ac lubricus status. Cum enim ingentes pulveris globi, rotarum atque quadrupedum agitatione commoti, fusca nube coelum solemque texissent, conspectu mutuo erepto, contra morem meum, ut me malus abstulit error, ¹⁵ inferor in medium cohortem. At vix data et redditia salute sic pulvis omnium fauces et ora compleverat, aridumque praecluserat vocis iter, dum me recolligerem, ut et aliis parcerem et mihi, equus quo vehebar et ipse oculis captus, post remisque pedibus in praealtam iuxta viam foveam dilapsus, ²⁰ omnes qui aderant metu et horrore complevit, praeter me unum, qui quid mecum ageretur nesciebam; tanta caligo pulvvereae noctis incesserat, eo mihi molestior quod a luce venientis oculi sunt in tenebris pigriores.

At vero ille magnanimus adolescens, quem, nisi coeptam ²⁵ successionum telam fata praeciderint, Mediolani Liguriaeque dives exspectat haereditas, et quo, nisi iudicium amor fallit, inter iuvenes fortunatos nullus est melior, nullus humanior, ante alios me nomine inclamans, ut caverem admonebat. Ego ignarus et plus fateor clamore omnium quam periculo meo ³⁰ motus, non prius intellexi quid rei esset, quam solas equi auriculas extantes meque densis verribus oppressum vidi.

Profuit ad salutem proprium non nosse discriminem ; quosdam iuvit ignorantia, et dum nil metuunt nil nocuit ; sic contra 35 multos aegros morbi fecit opinio, ut aliquando essent quod diu esse crediderant ; neque enim de nihilo dictum est : imaginatio facit casum. Cui pari ratione illud obiecerim, imaginatio casum tollit. Ita cum multa scire sit optimum, quaedam melius nesciuntur. Certe cum discriminem ipse mecum nescio, 40 dumque nil mali suspicor, nil incommodi passus sum ; neque enim periculum nisi post periculum agnovi, magisque cum iam timendum nihil esset, timui, et nunc ut ait Maro, ‘horresco referens’.

Tunc ut eram in pedes subito desilui, supremumque ripae 45 marginem illaesus, plusquam meo saltu, tenui et invisibili subnixus auxilio. Substiterat equidem adolescens ille mitissimus, iussisque famulis descendere ipse non modo vocis obsequium mihi praebuerat sed dexteræ: Dum interim equus meus magno nisu sibi consulens primisque, dictu mirum, ungulis de- 50 pendens, attritus genua, vix tandem emergebat ; qui si, ut natura rei poscebat, repente postquam labi cooperat, in tergum cecidisset, actum erat, et absolutus eram omnibus curis. Adfuit hominum succursus, adfuit equi vigor. Dicit aliquis, ingratum mendacium, mendax ingratitudo, vana manus hominis, fallax 55 equus, ad salutem ipse suam ; ut alias, supposuit manum praesentique me solus exitio Christus eripuit. Quod idcirco tibi notum volui, ut sicut apud Flaccum caduceæ arboris ruina, sic apud me instabilis equi lapsus propriae nos conditionis admoneat, inanem esse providentiam humanam, ineluctabilem 60 fati vim, innumerabiles mortalium casus, inextimabilem caecitatem . . . [He found the Cardinal most generous, though P. asked nothing for himself, but only for his friend Nelli.] Vale. [1353.]

Guidoni Septimo. Fam. xvii. 5.

QVAE spes, quod solamen publicae calamitatis audisti ; tempus est stilum ad laetiora vertendi. Audivi quidem te curis urgentibus urbe profugum rura sectari. Laudo morem hunc verbo continue, re dum licet, sed de occupationum urbanarum suppliciis deque solitaria quiete latius 5 aliquando disserui, et res est, de qua etsi multa saepe dixerim, multa dicam, si diu vivere datum est . . . [His desire for solitude has hardened into a habit.] Sed ut omnia ista praeteream et ad id veniam quod inter multa retrahentia me nunc ad scribendum trahit, audio te nescio quot diebus ruris mei, quod ad 10 fontem Sorgiae est, incolam fuisse et curarum tuarum aestus loci optimi refrigerio temperasse. Placet, consiliumque tuum hoc laudo ; nisi enim me rerum mearum fallit amor, et consuetudinis vis antiquae, vere rus illud locus est pacis et otii domus, requies laborum, tranquillitatis hospitium, solitudinis 15 officina . . . [It is particularly suited to literary production.] Longe inde exulant urbana negotia et litium fervor et comes-santium strepitus. Non ibi sentitur armorum fragor, non inanis laetitia triumphorum, non inconsultus e contrario natus maeror quo nunc angimur. Ludunt argentei pisces in gurgite 20 vitreo, rari procul in pratis mugint boves, sibilant aurae salubres leviter percussis arboribus, volucres canunt variae in ramis . . . [In short it is a veritable earthly paradise.]

Illuc ergo quotiens vacat, si quid mihi credis, a tempestatibus Curiae velut in portum fuge ; illic enim non aliter quam in 25 portu Brundusii fluctuantem animi naviculam tremulo fune compesces. Vtere libellis nostris, qui crebro nimis absentem dominum lugent mutatumque custodem. Vtere hortulo, qui similem, quem quidem ego viderim, toto orbe non habet, tuamque et Socratis nostri fidem implorat ne mea sibi obsit 30 absentia. Signabo autem diem tibi serendis arboribus idoneum, non eum quem fortasse alibi pro diversitate terrarum agricolae observant. Audivi senes dicti ruris, ante alias villicum meum,

qui vir optimus et rerum rusticarum peritissimus fuit, ita
 35 dicere quod ibi satum fuerit ad octavum Idus Februarii felici
 successu coalescere nec adverso sidere interire. Tunc ergo,
 praesertim si lunae ratio constabit, serite ibi, oro, novum
 aliquid, quo forte senectutem illic placidam simul acturis, si
fata permiserint, vestra cura gratior aspectus atque umbra sit
 40 densior. Vtere arbustis e quibus antiqua suis manibus Bacchus
 et Minerva plantarunt, nova vero meis ipse manibus, non
tantum nepotibus umbram factura, sed nobis. Vtere parva
 domo et agresti lectulo, qui ubi te gremio excepit, mei
 praesentiam non requiret.

45 Vnde equidem nunc tam multa miraberis; desines autem
 si locum noveris ubi ista dictavi. Collis est uberrimus atque
 pulcherrimus medio ferme Cisalpinae Galliae, cuius in ea parte
 quam Boreas Eurusque percutiunt, castrum sedet Sancti
 Columbani nomine, late notum situ moenibusque praevalidum.
 50 Ima collis Lamber lambit, flumen exiguum sed nitidum, et iam
 iusti patiens navigii, quod per Modoetiam descendens non
 procul hinc Pado illabitur. Ad occiduum latus solitudo gratis-
 sima est et dulce silentium liberrimusque prospectus. Nusquam
 memini e loco tam modice tumenti tantum et tam nobile
 55 terrarum spectaculum vidiisse. Parvo luminum flexu Ticinum,
 Placentia et Cremona cernuntur famosaeque urbes aliae
 multae. Sic enim incolae affirmant; quam vere autem
 hodiernus nubilosus dies experimentum negat; sed in his
 tribus ipse meis oculis credo. Alpes quae nos a Germanis
 60 dirimunt nivosis a tergo iugis sunt nubes coelumque tangentes
 . . . [Such prospects always remind him of Vaucluse.]

Scripsi igitur haec ad vesperam in thalamo non philosophico
 poeticove, sed regio, quae meditatus eram non multo ante solis
 occasum, solus ibi herboso caespiti insistens, sub ingentis umbra
 65 castaneae. Vale. xii. Kalendas Novembris, in arce Sancti
 Columbani [1353].

Nicolao Sygero Constantinopolitano. Fam. xviii. 2.

CLARI animi clarum munus, ut decuit, fuit; operationes enim hominum animum imitantur, et qualis quisque sit ex actuum qualitate conspicitur. Singulare aliquid te decebat, nempe singularis es vir, et ab acie vulgari tota intentione remotissimus. Si esses unus e populo, fecisses ut reliqui, nunc 5 autem implesti magnifice quod tuum erat, unoque actu et amicitiam et ingenium aptissime declarasti. Misisti enim ad me de Europae ultimis donum quo nullum vel te dignius vel mihi gratius vel re ipsa nobilius mittere potuisses . . . [Some give gold and jewels and arouse feelings of avarice. But Sygerus 10 sends a gift worthy of himself.] Donasti Homerum, quem bene divinae omnis inventionis fontem et originem vocat Ambrosius Macrobius, et si omnes tacerent, res ipsa testatur, sed fatentur omnes. Ego autem ex omnibus sciens unum tibi testem protuli, quem ex omnibus Latinis tibi familiarissimum esse 15 perpendi. Illis enim facile credimus quos amamus.

Sed redeo ad Homerum. Hunc tu mihi, vir amicissime, donasti, promissi tui simul ac desiderii mei memor, quodque non modicum dono adiicit, donasti eum non in alienum sermonem violento alveo derivatum, sed ex ipsis Graeci elo- 20 quii scatebris purum et incorruptum, et qualis primum divino illi profluxit ingenio. Summum utique, et si verum rei pretium exquiritur, inextimabile munus habeo, cuique nil possit accedere, si cum Homero tui quoque praesentiam largireris, qua duce peregrinae linguae introgressus angustias, 25 laetus et voti compos dono tuo fruerer, attonitusque conspicerem lucem illam et speciosa miracula, de quibus in *Arte poetica* Flaccus ait: ‘Antiphaten, Scyllamque et cum Cyclope Charybdim.’ Sed nunc heu! quid agam? Tu mihi nimium procul abes, felix utriusque linguae notitia singulari; Barlaam 30 nostrum mihi mors abstulit, et ut verum fatear, illum ego mihi prius abstuleram; iacturam meam, dum honori eius consulserem, non aspexi. Itaque dum ad episcopatum scandentem sublevo, magistrum perdidì, sub quo militare cooperam magna

35 cum spe. Longe impar, fateor, tui et illius ratio. Tu mihi multa, ego tibi quid conferre possim non intelligo. Ille autem, cum multa mihi quotidiano magisterio coepisset impendere, non pauciora quidem, saepe etiam lucrum ingens ex convictu nostro sese percipere fatebatur, urbane, nescio an vere; sed
 40 erat ille vir ut locupletissimus Graecae, sic Romanae facundiae pauperrimus, et qui ingenio agilis, enuntiandis tamen affectibus laboraret. Itaque vicissim et ego fines suos illo duce trepide subibam, et ille post me saepe nostris in finibus oberrabat, quamquam stabiliore vestigio. Nam et hic quoque ratio
 45 diversa. Illi enim plus multo Latini quam mihi Graeci erat eloquii; ego tum primum inchoabam, aliquantulum ille processerat, ut qui Italica natus esset in Graecia et qui, licet aetate provectior, Latinorum conversationem magisteriumque sortitus, ad naturam propriam facilius remearet.

50 Illum mors, ut paulo ante questus sum, te mihi morti non absimilis rapit absentia; etsi enim, ubicumque sis, de tanto gaudeam amico, viva tamen illa tua vox, quae discendi sitim, qua me teneri non dissimulo, posset vel accendere vel lenire, minime aures meas ferit, sine qua Homerus tuus apud me mutus,
 55 immo vero ego apud illum surdus sum. Gaudeo tamen vel aspectu solo et saepe illum amplexus ac suspirans dico: ‘O magne vir, quam cupide te audirem! Sed aurium mearum aliam mors obstruxit, aliam longinquitas invisa terrarum.’
 Tibi quidem pro eximia liberalitate gratias ago. Erat mihi
 60 domi, dictu mirum ab occasu veniens, olim Plato philosophorum princeps, ut nosti (neque enim vereor ne tu tantus vir, quod scholastici quidam solent, huic praeconio obstrepas, cui non Cicero ipse, non Seneca, non Apuleius, non Plotinus magnus ille Platonicus, postremo non Ambrosius, non Augustinus noster
 65 obstreperet), nunc tandem tuo munere, vir insignis, philosophorum principi poetarum Graius princeps accessit. Quis tantis non gaudeat et glorietur hospitibus? Habeo quidem ex utroque quantum Latinitas habet in sermone patrio, sed Graecos proprio in habitu spectare, etsi forte non proposit, certe iuvat.

Neque praeterea mihi spes eripitur, aetate hac profectus in 70 litteris vestris, in quibus aetate ultima profecisse adeo cernimus Catonem. Tu si quid forsan ex me cupis, redde mihi fiduciae tantae vicem et in me iure tuo utere. Ego enim ut vides iure meo utor in te, et quoniam petitionis successus petendi parit audaciam, mitte, si vacat, Hesiodum, mitte precor Euripidem. 75 Vale, vir egregie, nomenque meum quod sine ulla meritis nescio qua indulgentia vel hominum vel fortunae satis in occidente cognoscitur, in orientali aula si videtur, et inter vestros heroas notum facito, ut quod Romanus Caesar amplectitur, Constantopolitanus non fastidiat Imperator. Mediolani, iv. Idus 80 Ianuarii [1354].

Iacobo Florentino. Fam. xviii. 12.

CICERO tuus quadriennio et amplius mecum fuit. Tantae autem dilationis causa scriptorum haec intelligentium ingens raritas atque penuria; quam iactura studiorum incredibilis consecuta est, dum quae natura obscura erant, intelligibilia desierunt esse, novissimeque neglecta prorsus ab 5 omnibus, periere. Ita litterarum uberrimis atque dulcissimis fructibus et ingeniorum illustrium vigiliis atque laboribus nostra paulatim saecula caruerunt, quibus an excellentius aliquid in terris haud temere diffinierim. Illud fidentissime dixerim maiorem hanc nostri temporis iacturam aliquantoque 10 iustius deflendam quam Delphica sedes quod siluit, quo deorum singulari quodam dono, et quo nullum, se iudice, maius esset, Lucanus saeculum suum caruisse conqueritur. Quae sedes melius omni tempore siluisset, et cum incola sua penitus obmutuisset Apolline, qui non prophetae tantum testimonio, 15 quoniam omnes dii gentium daemonia sunt, sed proprio etiam ore convincitur. Siquidem interroganti cuidam quem se faceret (quanta veri vis!), daemonem se esse confessus est. Profecto damnosius nemo negaverit dulci solatio litterarum quam perfidi ac mendacis daemonis caruisse colloquio. 20

Sed relicta pereuntis scientiae querela, ad Ciceronem tuum

redeo, quo cum carere nolle et potiri per scriptorum ignaviam non liceret, deficientibus externis, ad domestica vertor auxilia, fatigatosque hos digitos et hunc exesum atque attritum 25 calamum ad opus expedio. Et hunc quidem in scribendo morem tenui, quem, si quid tale forsan aggrediare, tibi quoque notum velim. Nihil legi nisi dum scribebam. Quid ergo, dicat aliquis, scribebas, et quid scribebas ignorabas? Mihi autem ab initio satis fuit nosse quod Tullii opus esset, idque 30 rarissimum; procedenti vero per singulos passus tantum dulcedinis occursabat, tantoque trahebar impetu, ut legens simul ac scribebas labore unum senserim, quod tam velociter, ut optabam, calamus non ibat, quem verebar oculis anteire, ne si legisset scribendi ardor ille tepesceret. Sic igitur calamo 35 frenante oculum atque oculo calamum urgente provehebar, ut non tantum opere delectatus sim, sed inter scribendum multa didicerim memoriaeque mandaverim. Quo enim tardior est scriptura quam lectio, eo altior imprimitur haeretque tenacius.

Fatebor tamen; iam eo scribendo perveneram ut, non dicam 40 taedio animi (quid enim Ciceroni minus convenit?), sed labore manuum victus, susceptum consilium non probarem, meque iam non mei negotii poeniteret; dum subito ille mihi locus allatus est, ubi Cicero ipse orationes alterius nescio cuius (sed profecto non Tullii; unus est enim ille vir, una illa vox, unum 45 illud ingenium) scripsisse se memorat. ‘Nam quas tu,’ inquit, ‘commemoras Cassii legere te solere orationes cum otiosus sis, eas ego scripsi’; et, ut solet, cum adversario suo iocans rudis inquit et férus ‘ne omnino unquam essem otiosus’. Quo lecto sic exarsi quasi verecundus miles cari voce ducis increpitus, et mecum: ‘ergo alienas Cicero scripsit, tu Ciceronis orationes scribere negligis? Hic animi fervor, hoc studium, hic divini honos ingenii est?’ His actus stimulis processi iam propositi certus, et si quid ex tenebris meis potest splendoribus illius facundiae coelestis accedere, erit hoc forte non ultimum, 55 quod dulcedine captus inenarrabili rem suapte natura taedio-sissimam, scribere, tam alacriter feci, ut vix me fecisse sentirem.

Nunc ergo iam tandem Cicero tuus volens et meo nomine tibi gratias acturus ad te redit. Idem apud me non invitus manet, cui hoc familiariter imputem, nulli fere omnium qui unquam scripserunt me tantum fuisse daturum, ut inter tot aculeos 60 humanarum difficultatum quos prorsus excutere nequeo, inter tot studiorum curas, ad quas longa etiam brevis est vita, alienis transcribendis tempus impenderem. Feci forte olim tale aliquid, dum clam labentis temporis ditior videbar, quae tamen incertissimae omnium fugacissimaeque divitiae sunt; nunc 65 aperte res in angustum desinit; non est vagandi locus. Iam necessariae utinamque non serae parsimoniae tempus est. Sed tanti visus est Cicero, cui etiam de minimo partem darem. Vale. [1355.]

Zenobio Florentino. Fam. xix. 2.

TEMPVS breve magnum scribendi desiderium angustat, et ardorem animi praegelidus aer frenat. Sine exemplo annus est, et bruma horrida vulgo iam paene in miraculum atque, ut dici solet, in religionem vertitur. O tranquilla Parthenope et magnis ingenii laudata Campania, vestrum est 5 quod ait Maro: 'Ver assiduum atque alienis mensibus aestas.' At profecto non talis ipsa loquentis mater, glacialis Mantua, et importunis frigoribus oppressa, nivosisque Alpium et Apennini iugis obsessa Liguria. Quamquam praeiens annus, qui novitate sui attonitos etiam senes habet, nescio an aliquid causae secreto 10 tioris ostenderit, quod scilicet e Germaniae finibus veniens novus Caesar coelo nostro suum forte frigus invexerit, cuius is rigor est, ut ipsos quoque Germanos in stuporem cogat. Certe ego nudius tertius Mantuae, quo ad ipsum Caesarem multum rogatus accesseram, in familiari colloquio quo princeps ille 15 mitissimus, lingua et moribus non minus Italicus quam Germanus, me nunquam antehac praeterquam in litteris visum, saepe dignatus; sic eum dicentem audivi, vix se unquam tale aliquid in Germania sensisse. Cui ego respondi, forte coelitus

^{Elegans.} 20 actum esse ne miles Teutonicus subitam coeli mutationem et Italicam temperiem exhorreret.

Mitto autem haec ; hiems zephyris cedet, aestas aquilonibus, omnia senectuti. Veniet dies, quae diebus omnibus metam ponat, et hanc temporum varietatem stabilis concludet aeternitas. Natura suum opus, nostrum interim nos agamus. Evidem non me gelu, quodcumque Ripheis montibus Maeotis que paludibus adiacet, retardasset. Multa scribere cupiebam, si litteras tuas in tempore recepissem ; sed dum iste vir clarus et nobis carus attigit Mediolanum, aberam ut dixi. Huc 30 reversus tuas ornatissimas quattuor epistolas, quibus totidem meis, sero licet, abunde tamen satisfactum fateor | et latorem abitum meditantem | reperi. || Supervacuum visum est inchoare quod perficere non erat ; reliqua igitur ad suum diem, qui longior forte dabatur atque tranquillior. In hoc brevi et 35 turbido nil aliud dixerim, nisi nil penitus tuarum ad me literarum hoc biennio pervenisse, quae mirari te non miror, atque etiam indignari ; sed ferendum quod mutari non potest. Litterae nostrae medio viarum suos raptiores inveniunt. Quid autem scimus ? Multos forsitan, amice, studiis nostris 40 accendimus, multis gloriae stimulus incussimus ; sive pergant qua ceperunt, sive nobis duplicant laborem, et epistolas nostras detineant et avertant, modo nos ament et quod rapiunt mirentur. Scripta torquentibus digitis, sexto Kalendas Ianuarii, ante lucem. Vale. [1354.]

Guidoni Septimo. Fam. xix. 9.

RVMORES Italicos quotidie, nisi fallor, ad satietatem audis ; qui vel utinam rariores essent vel minus immites. Nunc crebri vehementesque sunt et sonori adeo, ut non tantum in Galliis, vicina regione, sed apud Indos atque Arabes audiri 5 queant. Magni sunt rerum motus, magni bellorum strepitus, magna imperiorum iugisque collisio, magna denique famae vox, quaeque non modo Alpes patrias, sed maria transilit . . . [He

writes of public calamities only, and assures his friend that all is well with him personally.] Nunc ne te amplius exspectatione torqueam, quod destinaveram expedio; et omissis rumoribus, 10 qui assidue aures tuas fama vociferante circumsonant, quos nullis annalibus comprehendendi posse crediderim, qui Pisis et qui Senis populorum motus, quot in latus revoluta Bononia, quisnam patriae meae status, utinam ut florentis semper, sic aliquando fructiferae, quid float Roma, quid Parthenope 15 metuat, ut rebus ipsis cognomen suum Terra Laboris aequaverit, quibus aestibus odiorum ferveat sulphurulenta Trinacria, quid agat Ianua, quid paret Liguria, quid Aemilia cogitet aut Picenum, quam insomnis et laboriosa Mantua, quam meticulosa Ferraria, quam Verona miserabilis Acteonis in morem 20 suis ipsa canibus laceretur, ut barbaricis semper incursibus pateant Aquileia et Tridentum, postremo, pudorum maximus, qui praedonum coetus per Italiam pervagentur, utque de provinciarum domina servorum sit facta provincia, ad Venerorum, ut Livii verbo utar, angulum et ad ea, quae vixdum 25 potes audisse, festino. Qui bello cum Ianuensibus suscepto ne dicam an detecto (latens enim bellum defuisse nunquam puto), intra breve tempus primum victi, mox victores, rursum maiore proelio victi sunt, in quo illis quidem ut hominibus atque Italis compatiō, mihi autem gratulor, quod 30 haec eis mala omnia ventura praevidi praedixique, non astrorum iudicio aut ullo vaticinii genere, quod totum despicio reicioque, sed praesagio quodam mentis et urgentibus coniecturis, quibus in eam sententiam trahebar, ut videre mihi tunc viderer, quod nunc video. Atque utinam dux Andreas, qui rerum summae 35 tunc praeerat, hodie viveret; exagitarem eum litteris et omnes aculeos incuterem ac tota uterer libertate. Bonum enim virum atque integrum suaequae reipublicae amantissimum sciebam, doctum praeterea et facundum et circumspectum et affabilem et mitem. Vno tamen offendebat, quod belli studio ardentior 40 erat quam naturae ac suis moribus conveniret. Viventi equidem non pepercī, et praesens verbo et absens litteris

laceſſere ausus tantum virum ; quae ille de animo meo certus
 patienter ferebat ; sed recenti victoria elatus consilium
 45 respuebat. Consuluit illi mors, ut et acerbissimum patriae
 suae luctum et mordaciores meas litteras non videret . . .
 [Dandolo was fortunate in dying before the battle of Portolongo.]

Hactenus audieras ; quod sequitur novum audis. Huic
 equidem tali duci iuveni senior successerat, et ad patriae
 50 gubernaculum, sero licet, ante tamen quam vel sibi vel patriae
 opus esset, accesserat, vir ab olim mihi familiariter notus, sed in
 quo fallebat opinio, animi quam consilii maioris ; Marinus
Phalierius viro nomen. Explere animum in summa dignitate
 non potuit, sinistro pede palatum ingressus. Namque hunc
 55 Veneti Ducem suum, sacrosanctum omnibus saeculis magistra-
 tum, quem in illa urbe semper ut numen aliquod antiquitas
 coluit, nudiustertius in ipsius palatii vestibulo deollarunt.
 Causas rerum, ut poetae solent in primordiis suorum operum
 explicare, si comperta loqui velim, nequeo ; tam ambigue et
 60 tam varie referuntur. Nemo illum excusat ; omnes aiunt
 voluisse eum in statu reipublicae a maioribus tradito nescio
 quid mutare ; atque ita cuncta conveniunt, ut quod ait
 Flaccus : ‘ Primo ne medium, medio ne discrepet imum.’
 Nam quod vix ulli unquam arbitror evenisse, dum ad ripam
 65 Rhodani pro negotio pacis per me primum et mox per eum
 frustra tentato, apud Romanum Pontificem legationis officio
 fungitur, ducatus honor non petenti immo quidem ignaro
 sibi obtigit. Reversus in patriam cogitavit quod, ut puto,
 nemo unquam cogitarat ; passus est, quod nemo unquam. In
 70 loco celeberrimo omniumque clarissimo atque pulcherrimo
 eorum, quae ego viderim, ubi maiores sui saepe laetissimos
 honores pompis triumphalibus deduxerunt, illic ipse servilem
 in modum, concursu populi tractus et ducalia exutus insignia,
 capite truncus occubuit, templique fores et palatii aditum
 75 scalasque marmoreas saepe vel festis solemnibus, vel hostilibus
 spoliis honestatas, sanguine foedavit proprio. Locum signavi ;
 tempus signo. Annus est ab ortu Christi MCCCLV, dies fuit, ut

ferunt, xiv Kalendas Maii. Rumor est tantus, ut si quis urbis illius disciplinam moresque prospexerit, quantamve rerum mutationem unius hominis mors minetur, quamquam alii 80 plures, ut perhibent, complicum ex numero idem supplicium vel pertulerint vel exspectent, vix maior in Italia temporibus nostris emerserit.

Hic forte meum iudicium exspectes. Populum, si famae creditur, absolvō, quamvis et lenius saevire et dolorem suum 85 mitius vindicare potuerint; sed non facile iusta simul atque ingens ira comprimitur, magno praesertim in populo, ubi iracundiae stimulus rapidis inconsultisque clamoribus praeceps atque multivolum vulgus exacuit. Infelici homini et compatiō et indignor, qui honore auctus insolito, quid sibi sub extremum 90 vitae tempus vellet ignoro, cuius illud quoque calamitatem praegravat, quod praescripto publico more iudicii non modo miser fuisse, sed insanus amensque videbitur, et tot iam per annos sapientiae falsam famam vanis artibus usurpasse. Ducibus qui pro tempore fuerint edico, positum sibi prae oculis speculum 95 ^{Fürstengesicht} sciant, ubi se videant duces esse non dominos, immo vero nec duces, sed honoratos reipublicae servos esse. Tu vale et quoniam publicae fluctuant, demus operam ut privatas nostras res quam modestissime gubernemus. Mediolani, viii. Kalendas Maias [1355].

100

Francisco Priori Sanctorum Apostolorum. Fam. xix. 13.

Opraedura sors mortalium, o vere iugum grave super filios Adam, ut ille ait, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium! Ecce ego dum maxime solitudinem et requiem meditarer, magno rerum et familiae strepitu contra meum morem ac votum prope nunc 5 ad Arctoum mittor Oceanum. Quis crederet ut deinceps Rhenum quem iuvenis senem vidi, eumdem iuvenem ipse iam senior viderem? Siquidem olim annis meis adhuc crescentibus circa divortia amnis illius ubi decrescere et bicornis esse incipit,

10 fui ; nunc ad radicem montium ubi ille crescit et nascitur iam
 decrescenti iter est mihi et inde longius ad extrema terrarum ;
 magnus labor praesertim in tanto contrarii appetitu. Sed
 nisi irritus, non gravis. Pro publico enim bono nullus privatus
 labor non facilis videri debet. Proinde hanc ob causam non
 15 aliam ab hoc Ligurum regnatore missus ad Caesarem profi-
 ciscor, quamque mittenti susceptoque efficax negotio res
 docebit ; mihi vero eatenus morigerer ut illum, cum quo
 absens litteris nil profeci, voce praesens feriam. Litigabo
 arguamque eum et statuam contra faciem eius hanc degenerem
 20 et Caesareis moribus indignam fugam, ut si nulli usui iter hoc
 meum sit, certe legatus ipse mihi fuero. Primo enim quae
 commissa, post seorsum quae concepta mihi sunt peragam.
 Vtar libertate mea et Caesaris utar patientia. Sic me saltem,
 sic Italianam et desertum imperium ulciscar. Orabis pro felice
 25 reditu, post quem, ut spero, sic in solitudinem totus immergar,
 ut nullus ibi me labor (o quid ante sepultum spero !) nullus
 me nobilium scrutator latebrarum livor inveniat. Vale nostri
 memor.

Mediolani, praepropere et inter tumultum sarcinulas strin-
 30 gentium, xiv. Kalendas Iunii [1356].

Guidoni Archiepiscopo Genuensi. Fam. xix. 16.

NOVI te ; scio quam de me semper anxius fueris quamque
 sollicitus. Et profecto non amat qui non metuit.. Statu-
 tum meum vis audire . . . [*He is aware that Guido desires to
 hear the fullest details of his daily life.*] Siquidem post com-
 5 pressos adolescentiae turbines et flammam illam beneficio
 maturioris aetatis extinctam (o quid loquor ! Cum tot
 libidinosos passim ac deliros senes videam turpe iuvenibus vel
 spectaculum vel exemplum), immo igitur post illud incendium
 caelesti rore Christique refrigerio consopitum, prope unus
 10 semper vitae meae tenor fuit, et cum saepe loca mutaverim,
 ille mansit immobilis. Hunc nemo te melius nosse debet.

Paulo minus biennio hospes tuus fui. Quod tunc vidisti nunc agentem cogita, nisi quia quo magis progredior, eo magis accelero, et ceu fessus viator ad vesperam adhuc longae vitae ^{viae} cogitatione suspiro et calcar incutio, lassitudinem excutio et 15 gressum ingemino et multiplex vitae taedium obliviscor. Itaque diebus ac noctibus vicissim lego et scribo, alterum opus alterno relevans solatio, ut unus labor alterius requies ac levamen sit. Nulla mihi delectatio aliunde, nulla vivendi dulcedo alia; sed haec ipsa me praegravat atque exercet usque 20 adeo, ut hac dempta vix intelligam unde mihi labor aut requies. Res mihi equidem inter manus crescunt, et subinde aliae atque aliae adveniunt abeunte vita, verumque si fateri oportet, terret me tanta coeptorum moles in tam parva vitae area . . .

[*His health is good; he still has to struggle against the temptations of the flesh.*] In rebus aliis quas fortunas vocant, optimus et ab extremis distantissimus est modus. Procul miseria, procul inopia, procul dvitiae, procul invidia. Tuta vero, dulcis ac facilis mediocritas praesto est. Ita mihi videor; fallor forte. Vnum est in quo mediocritas me ista non se- 30 quitur, idque si invidiosum forte me fecerit, non mirer. Honoratior sum, melius dixissem oneratior, quam vel unquam optaverim vel semper optatae sit expediens quieti. Neque huic solum Italorum maximo suisque proceribus, sed, quod publicam sim dicturus ad gloriam, toti populo conspectior 35 cariorque quam merui. Quadriennio iam ut vides integro in hac Mediolanensium urbe moram traxi, et iam quinti anni limen ingredior. Res hercle nec mihi unquam nec tibi nec cuiquam amicorum vel levi praesagio ante visa; sed humana- rum rerum consuetudo est vetus ac perpetua ut sicut nihil 40 certum omnium quae speramus, sic nihil omnino quod praeter spem evenire homini non possit . . . [*He is in general favour at Milan.*] Accedit habitatio ab omni tumultu civium, nisi quem vetusta devotio semper octavo mane revehit, semota ad occiduum magnae urbis angulum. Ambrosii hospes sum, quo 45 cum multi saepe vel noti vel noscendi avidi se venturos dicunt,

uncis inde negotiorum, hinc loci distantia retrahuntur. Sic est; sanctissimus hospes meus, ut consolationis plurimum corporali sua praesentia atque, ut reor, spirituali etiam praestat auxilio, sic taedii ac fastidii multum eripit; salutari, frequentari, celebrari, premi, aspici. Ab his stimulis tanto sub hospite conquiesco, et velut alto maris e litore procellas video frago-remque audio, sed fluctibus non contingor. Ac si quando trans limen vel eundi votum, vel visendi domini me debitum trahit, quo nihil me aliud quam voluntas rara adigit, vel honestas, tum dextra laevaque flexis oculis et labellis clausis, nutu frontis eminus salutans salutatusque praetereo, nil in transitu patiens quo fatiger.

Iam de reliquis et brevior et notior tibi olim historia est. Ne quid tamen variante fortuna, ut fit, de vivendi consuetudine immutatum suspiceris, qui fueram, sum. Victum meum nosti, somnum quoque. His ut addam nulla mihi unquam fortuna suaserit; demo potius aliquid in dies, iamque eo per-ventum est ut modicum demi possit. Denique non si regiae opes advenerint, aut e mensa frugalitatem pellere poterunt, aut in cubiculum longos somnos arcessere. Nunquam me sanum ac vigilem lectus habet, nunquam nisi aeger aut dormiens stratis versor. Simul et me somnus et ego lectum deserо . . . [His aim is to waste as little time as possible on the care of the body.]

Id enimvero quia pro varietate temporum ac locorum variari oportet, et quale mihi nunc sit, nisi audias, nosse non potes, dicam. Amo solitudinem, ut soleo, sectorque silentium, nisi inter amicos inter quos nemo me loquacior, hanc reor ob causam quod amicorum praesentia solito rario nunc est. Raritas autem desiderium accedit. Saepe igitur annum silentium diurna loquacitate compenso, rursumque amicis abeuntibus mutus fio. Importunum negotium cum vulgo loqui, aut omnino cum homine quem non amor tibi seu doctrina conciliet. Ceterum more illorum, qui, ut ait Annaeus, de vitae partibus deliberant non de tota, ingruentem cogitans

aestatem, diversorum amoenissimum saluberrimumque adii. Garignanum vocant, tribus, ut numerant, passuum millibus ab ipsa urbe semotum. Rus autem in planicie elevatum et cinctum undique fontibus, non illis quidem Sorgiae nostro 85 Transalpino paribus, sed modestis ac lucidis, tamque suaviter invicem perplexis ac vagis, ut unde veniant seu quo pergent,
vix possit intellegi . . . [Here he continues his usual occupations
and enjoys greater liberty in the country.]

Est hic Carthusia domus nova sed nobilis. Hinc mihi quid- 90 quid sancti gaudii sumi potest horis omnibus praesto est. Decreveram intra ipsius coenobii saepta concludi, quod illis sanctissimis viris an mihi gratius incertum. Ita re factum esset, nec verebar ne qua in re praesentia mea illos offenderet ; sed reputans me sine equis ac famulis, ut adhuc est vitae modus, 95 esse non posse, timui ne servilis temulentia ac strepitus religioso silentio obstantem. Sic vicinam illorum domum malui unde officio praesens, taedio autem absens piae familiae devotis actibus, quasi eorum unus, quandolibet intersum. Sacrum mihi continuo limen patet, a quo famuli mei exulant atque 100 advenae, nisi rari admodum, quos vitae qualitas tali dignos facit hospitio . . . [The only thing lacking is the presence of his old friend.] Vale. [1357.]

Francisco Priori Sanctorum Apostolorum. Fam. xx. 7.

NON tuam, fateor, legere visus epistolam sum, sed Flacci, cum quo iocans Caesar : ‘vereri’ inquit, ‘mihi videris ne maiores res libelli tui sint quam ipse es.’ Sane quae illi defuit, tibi adest mediocris et elegans statura.³ Sibi ergo vel ludicra, tibi quaenam tantae brevitatis excusatio iusta est ? 5 Sed quid loquor ? Providisti enim et omnem hanc calumniam in angustias temporis reiecisti. Credo, aedepol, nam et ego persaepe idem patior ; ut cum multa scribere cupiam, pauca sinar. Proinde quid quaeris ? An ad me litterae pervenerint tuae proximis ad te litteris meis absolutum legeris, et viva illius 10

nostri voce cognoveris, quem salvere iubeo, cuiusque nunc longam ad laboris historiam nil aliud dico, nisi quod paenitet et pudet et miseret talem virum a me et meis, immo suis laribus, tam adverso tempore dimisisse. Sed urgebat voluntas
 15 eius, cui prorsus obniti nefas credidi, et [ut] minaces auras, gravidum coelum, turbida nubila, herbisque et floribus gaudere soliti vellus arietis imbris uidum viderem, et vicissim monstrarem sibi. Quid vis? Non aut Lycomedes Neoptolemum, aut in fabulis Phaetonem Phoebus maestior dimisit. Sed quid
 20 agerem cum amico, cum nec horum alter cum nepote aliquid, nec alter cum filio potuisset. Cessi igitur, et dimissa animi mei parte, anxius substigi, donec litteris suis illum non exiguum
 25 anticipis viae partem emensum, Padumque et comites supra solitum tumido tunc ore ferventes evasisse didici; non ante tamen animo quieturus quam cum suis aut tuis litteris in patriam pervenisse didicero. Transmisso enim rege fluminum superest pater montium Apenninus, cuius sibi iuga substraverit
 30 oro Illum qui solus 'respicit terram et facit eam tremere, tangit montes et fumigant'.

Restat ut fatear te pro his novissimis diebus iure silentium meum queri, quamvis ad hanc ipsam querimoniam satis, ut arbitror, epistola superiore responsum sit. Quod si totum amicitiae nostrae tempus ad calculum trahis, aut ego fallor, aut tu mihi numero litterarum adhuc debitor manes. Siquidem
 35 inter nugellas meas, quas epistolae quidam vocant, quasque nunc maxime cuiusdam ingeniosi hominis et amici digitis coacervo, nullius ferme quam tuum crebrius nomen erit, licet vel tua vel mea vel amborum sors simul intemperans et inepta,
 40 multas, ut audio, tuas huc et meas illuc properantes averterit.
 Vive et vale.

Mediolani, III. Idus Aprilis [1359], propere.

Socrati suo. Fam. xx. 15.

IAMDVDVM, mi Socrates, cessat inter nos vicissitudo illa litterarum, magnum absentiae remedium, cuius cessationis et occupatio utriusque nostrum et multae forte aliae sunt causae. Illa, ni fallor, omnium maxima, quod materia deesse^{cō} incipit scribendi. Neque mirum id nobis accidere quod Tullio 5 accedit et Attico. Nullus tantus est acervus, qui non assidue detrahendo decrescere et in nihilum verti queat. Quidquid sciebamus, credo iam iugibus scripturis exhausimus. Quod unum hodie se offert, inter te et Laelium, me hortante, reformatam amicitiam et in gratiam redditum esse, tuis et suis et 10 multorum litteris audio et gaudeo mehercle, deque reconciliacione hac quam de ulla re alia laetior sum. Bene accedit; gratias Deo, gratias vobis. Ille inspiravit hos animos, vos spiritui aditum non negastis. Laudatis ambo certatim stilum meum, qui cum semper incultus, tunc improvisus ac tumul- 15 tuarius ut esset et anni tempus, et diei hora, et nuntii festinatio coegerunt. Tantis tamen plenus affectibus pietatisque facibus ac stimulis fuit, ut ipse, iam memini, Deum testor, inter scribendum lacrimas non tenerem. Eratis ante oculos vos duo, erant amici omnes vestro dissidio deiecti, erant triumphantes 20 aemuli, erant anni praeteriti tanta concordia exacti. Hinc impetus incompti sermonis, hinc lacrimae scribentis. Non ingenium, non stilos, sed propositum et adiuta divinitus pietas valuit. Itaque vos ut libet ego nihil laudo, nisi divinitatem unde est quidquid est boni, et vestram humanitatem bonorum 25 consiliorum non capacem modo sed rapacem. Generosos et mei amantissimos agnosco animos. Benedicti vos à Domino qui et vobis dignissimam rem fecistis et mihi gaudium, quantum aliunde praeberi non poterat, praebuistis. Mi Socrates, vale nostri memor.

30

Mediolani, iv. Idus Februarii, ante lucem [1359.]

Nerio Morando. Fam. xxi. 11.

IAM satis rerum mearum minutias legisti, satis Ciceroniani
 vulneris processit historia. Ne autem solum Ciceronem
 diligi ab ignotis credas, unum illis adiiciam, quod, licet vetus,
 apud te nova animum admiratione perfundat. Est hic semper
 5 in oculis Pergamum Italiae, Alpina urbs. Nam, ut nosti, alia
 huius nominis in Asia est, olim Attali regia, Romanorum post
 haereditas. In hac nostra vir est unus, litterarum tenui notitia,
 sed ingenio acri, si tempestive litteris datum esset; artificio
 autem aurifaber, inque eo longe eminens, quodque optimum
 10 habet hominis natura, mirator amatorque rerum excellentium,
 auri vero quod quotidie tractat, opumque fallacium, nisi pro
 necessitate, contemptor. Et hic quidem iam aetate proiectior,
 cum forte meum nomen audisset, famae lenocinio confestim in
 amicitiae meae studium vehementer exarserat. Longius eam
 15 si quibus ille tramitis ad huius modestissimi voti successus
 ambierit, exsequar; quid fidei honestarumque blanditiarum in
 me meosque omnes exercuerit, ut ad me longe positum
 familiariter atque ardenter accesserit, ignotus facie, sed iam
 proposito notus et nomine, quidve animo gereret in fronte
 20 atque oculis scriptum habens. Quid putas? Num sibi me
 negaturum, quod nulla barbaries, nullum ferox animal negasset?
 Delinimentis et fido ac perpetuo flexus obsequio tota virum
 mente complector. Neque enim sat me hominem rear, si
 honeste amanti sim durior ad reddendam vicem. Ille autem
 25 exultare, gloriari, gaudium animi vultu, voce, gestu prodere,
 et quasi voti compos augustissimi altiora respicere et totus in
 virum alterum repente converti; iam primum patrimonii sui
 partem non exiguum in meum decus expendere, signum, nomen,
 imaginem novi amici in omnibus domus suae angulis, sed in
 30 pectore altius insculptam habere; partem alteram scribendis
 quaecumque mihi stilo quolibet effluxerunt. Et ego negata
 maioribus sibi haud duriter scripta largiri ardore hominis ac
 novitate propositi delectatus.

Quid vis? Paulatim ille priorem vitam, actus et studia moresque dedidicit, et paene omne quod fuerat, sic exuit, ut 35 sui omnes mirentur ac stupeant. Ad extreum, me dehortante et saepius admonente, ne sero litterarum studio curam rei familiaris abiiciat, ad hoc unum mihi surdus et incredulus, fabrilem deseruit officinam, gymnasium et artium liberalium magistros colit, delectatione eximia, mira spe, quam fortunatus 40 studiorum nescio, sed votivo, nisi fallor, dignus eventu, qui tanto impetu tam honestam rem tantoque reliquorum omnium contemptu appetat. Et sibi quidem ingenium fervorque animi, civitati autem illi magistrorum copia semper fuit. Obstare sola videtur aetas hominis; quamvis et Platonem et 45 Catonem tales viros, illum provecta aetate philosophiae, hunc in senectute litteris Grais haud frustra operam dedisse compertum sit; fortasse autem hic meus ob hoc ipsum non indignus fuerit, qui aliqua in parte mei operis inveniat locum. Est igitur viro nomen Henricus, cognomentum Capra, animal 50 expeditum, impigrum, frondis amans, et natura semper in altum nitens. Inde autem dictum Varro extimat quod virgultum carpat, ut sit capra, transportata littera, quasi carpa. Quod si cuiquam, haud dubie huic nostro debitum scias, qui si mane silvam attigisset, crede mihi, distentum uber atque 55 uterum retulisset.

Haec tibi olim cuncta notissima, sed noscenda aliis dicta sunt. Quod sequitur adhuc nescis. Hic ergo talis in se et erga me talis iamdudum orare instituit, ut seque suumque larem adventu dignarer meo, et unius saltem lucis mora, sicut ipse 60 aiebat, omnibus saeculis gloriosum ac felicem facerem. Hoc eius desiderium non absque difficultate aliquot iam per annos traxeram. Nunc tandem et vicinitate loci et non precibus solum sed obsecrationibus et lacrimis evicit ut fletcherer, elatioribus licet amicis obstantibus, quibus honore indigna videtur humilitas. Veni ergo Pergamum 111. Idus Octobris ad vesperam eodem illo viae duce qui hortator fuerat, et subinde trepidulo ne me interim consilii paeniteret, atque ideo modis

omnibus satagente per se perque alios, ut a sensu itineris
 70 confabulando diverterer. Itaque planum iter et breve non
 sentientes egimus. Quidam vero me nobiles prosecuti erant ob
 id maxime ut tam fervidi hominis secreta cognoscerent. Cum
 ad urbem igitur ventum esset, et ab amicis obviam progressis
 multo cum gaudio excipior, et a praeside provinciae et a belli
 75 duce et a primoribus populi certatim pro se quoque instantे
 in palatium publicum et nobilium domos vocor; illo interim
 mire anxi et tantis precibus pavente ne vincerer. Feci autem
 quod me dignum credidi; ad humilioris amici domum cum
 sociis descendи. Ibi vero ingens apparatus, coena non fabrilis,
 80 non philosophica, sed regia, thalamus auratus, cubile purpureum,
 ubi nec iacuisse nec iacitum esse alium persancte iurat,
 librorum copia non mechanici sed studiosi hominis et litterarum
 amantissimi. Ibi noctem illam egimus; nec unquam puto
 laetiore hospite ulla nox acta est. Tanta enim laetitia gestie-
 85 bat, ut timerent sui, ne forte in morbum aut amentiam
 verteretur, sive quod multis olim accidit, etiam in mortem.
 Inde vero die proximo honoribus et concursu hominum pulsus
 abii, praeside ipso atque aliis multo pluribus longiusque quam
 90 vellem comitantibus, et amicissimo hospite vix serum lateri
 avulso sub noctem ipse rus redii. Habis, mi Neri, quod tibi
 non incognitum volebam. Hic nocturnarum epistolarum limes
 sit. Iam enim haec iugiter ad auroram scribendo tulit impetus,
 fessumque matutinae quietis admonet soporifera noctis pars.
 Tu vale feliciter, nostri memor. Scripta rurali calamo, Idibus
 95 Octobris, ante lucem. [1359.]

Iohanni de Certaldo. Fam. xxi. 15.

*M*VLTA sunt in litteris tuis haudquaquam responsionis
 legentia, ut quae singula nuper viva voce transegimus.
 Duo ex omnibus non praetereunda seposui. Ad haec breviter
 quae se obtulerint dicam. Primum ergo te mihi ~~excusas~~, idque
 5 non otiose, quod in conterranei nostri, popularis quidem quod

ad stilum attinet, quod ad rem haud dubie nobilis, poetae laudibus multus fuisse videare. Atque ita te purgas, quasi ego vel illius vel cuiusquam laudes meae laudis detrimentum putem. Itaque quidquid de illo praedicas, totum si pressius inspiciam, in meam gloriam verti ais. Inseris nominatim hanc huius officii ¹⁰ tui excusationem, quod ille tibi adolescentulo primus studiorum dux et prima fax fuerit. Iuste quidem, gratae, memoriter, et, ut proprie dicam, pie . . . [We ought to be even more grateful to those who have trained our minds than to those who have cared for our bodies.] Nam et ille dignus hoc praeconio, et tu, ut ais, ¹⁵ huic officio obnoxius; ideoque carmen illud tuum laudatorium amplector, et laudatum illic vatem ipse quoque collaudo.

In excusatoria autem epistola nihil est quo movear, nisi quod parum tibi nunc etiam notus sim, cui me plane notissimum arbitrabar. Ergo ego clarorum hominum laudibus non delecter, ²⁰ immo et glorier? Crede mihi, nihil a me longius, nulla mihi pestis ignotior invidia est; quin potius (vide quam procul inde absim) scrutatorem mentium Deum testor, vix me aliud in vita gravius pati quam quod benemeritos et gloriae et praemii omnis expertes video; non quod aut hinc damnum ²⁵ ipse proprium querar, aut contrario lucrum sperem, sed publicam sortem fleo, ad obscoenas artes honestarum praemia translatata conspiciens . . . [This report has been maliciously spread.]

Dicunt enim qui me oderunt, me illum odisse atque contemnere, ut vel sic mihi odia vulgarium conflent, quibus ³⁰ acceptissimus ille est. Novum nequitiae genus et mirabilis ars nocendi! His pro me veritas ipsa respondeat. In primis quidem odii causa nulla est erga hominem nunquam mihi nisi semel, idque prima pueritiae meae parte, monstratum. Cum avo patreque meo vixit avo minor, patre autem natu ³⁵ maior, cum quo simul una die atque uno civili turbine patriis finibus pulsus fuit, quo tempore inter participes aerumnarum magnae saepe contrahuntur amicitiae; idque vel maxime inter illos accidit, ut quibus esset praeter similem fortunam studio-rum et ingenii multa similitudo; nisi quod exilio cui pater, in ⁴⁰

alias curas versus et familiae sollicitus, cessit, ille obstitit et tum
 vehementius coepto incubuit, omnium negligens soliusque
 famae cupidus. In quo illum satis mirari et laudare vix valeam,
 quem non civium iniuria, non paupertas, non simultatum aculei,
 45 non amor coniugis, non natorum pietas ab arrepto semel calle
 distraxerit, cum multi quam magni tam delicati ingenii sint,
 ut ab intentione animi leve illos murmur avertat; quod his
 familiarius evenit, qui numeris stilum stringunt, quibus praeter
 sententias, praeter verba, iuncturae olim intentis, et quiete
 50 ante alios et silentio opus est. Odiosum ergo simulque ridi-
culum intelligis odium meum erga illum nescio quos finxisse,
 cum, ut vides, odii materia nulla sit, amoris autem plurima, et
 patria scilicet et paterna amicitia, et ingenium, et stilos, in suo
 genere optimus, qui illum a contemptu late praestat immunem.
 55 Ea vero mihi obiectae calumniae pars altera fuerat, cuius in
 argumentum trahitur, quod a prima aetate, quae talium
 cupidissima esse solet, ego librorum varia inquisitione delectatus
nunquam librum illius habuerim, et ardentissimus semper in
 reliquis, quorum paene nulla spes supererat, in hoc uno sine
 60 difficultate parabili novo quodam nec meo more tepuerim.
Factum fateor, sed eo quo isti volunt animo factum nego.
 Eidem tunc stilo deditus vulgari eloquio ingenium exercebam.
 Nihil rebar elegantius, necdum altius aspirare didiceram, sed
 verebar ne, si huius aut alterius dictis imbuerer, ut est aetas
 65 illa flexibilis et miratrix omnium, vel invitus ac nesciens
imitator evaderem. Quod, ut erat animus annis audentior,
 indignabar, tantumque fiduciae seu elationis indueram ut sine
 cuiusquam mortalis auxilio, in eo genere ad meum et proprium
 quemdam modum suffectorum mihi ingenium arbitrarer. Quod
 70 quam vere crediderim alii iudicent. Hoc unum non dissimulo,
 quod si quid in eo sermone a me dictum illius aut alterius
 cuiusquam dicto simile, sive idem forte cum aliquo sit inventum,
non id furtim aut imitandi proposito, quae duo semper in his
maxime vulgaribus ut scopulos declinavi, sed vel casu fortuito
 75 factum esse, vel similitudine ingeniorum, ut Tullio videtur,

iisdem vestigiis ab ignorantे concursum. Hoc autem ita esse, si quid unquam mihi crediturus es, crede. Nihil est verius. Quod si mihi nec pudor, ut credi debeat, nec modestia praestitisset, iuvenilis animi tumor praestabat. Hodie enim ab his curis longe sum. Et postquam totus inde abii sublatusque quo 80 tenebar metus est, et alios omnes et hunc ante alios tota mente suspicio. Iam qui me aliis iudicandum dabam, nunc de aliis in silentio iudicans varie quidem in reliquis, in hoc ita iudico, ut facile sibi vulgaris eloquentiae palmam dem . . . [His detractors are utterly uncritical.] Quod ad me attinet, miror ego illum et 85 diligo, non contemno. Et id forte meo iure dixerim, si ad hanc aetatem pervenire illi datum esset, paucos habiturum quibus esset amicior quam mihi. Ita dico si quantum delectat ingenio, tantum moribus delectaret; sicut ex diverso nullo quibus esset infestior, quam hos ineptissimos laudatores, qui 90 omnino quid laudent quidve improbent ex aequo nesciunt, et qua nulla poetae praesertim gravior iniuria, scripta eius pronuntiando lacerant atque corrumpunt; quae ego forsitan, nisi me meorum cura vocaret alio pro virili parte ab hoc ludibrio, vindicarem. Nunc quod unum restat, queror et stomachor 95 illius egregiam stili frontem inertibus horum linguis conspui foedarique. Vbi unum quod locus exigit non silebo, fuisse mihi non ultimam causam hanc stili eius deserendi, cui adole-scens incubueram . . . [He feared that the same fate would befall his own poems, as in fact happened.]

100

Nam quod inter laudes dixisti, potuisse illum si voluisset alio stili uti, credo aedepol. Magna enim mihi de ingenio eius opinio est; potuisse enim omnia quibus intendisset, nunc ex quibus intenderit palam est . . . [P. does not envy Dante the popular applause he has won.] Iurato mihi fidem dabis, de- 105 lectari me hominis ingenio et stilo, neque de hoc unquam me nisi magnifice loqui solitum. Vnum est quod scrupulosius inquirentibus aliquando respondi, fuisse illum sibi imparem, quod in vulgari eloquio quam in carminibus aut prosa clarior atque altior assurgit. Quod neque tu neges, nec rite cen- 110

sentibus aliud quam laudem et gloriam viri sonat . . . [No one has ever reached the highest rank in all branches of literature.] Vno in genere excelluisse satis est . . .

[He admits his indebtedness to Boccaccio in their relations as friends.] Nempe ut sileam multa, ubi me tuis obsequiis atque

amicitiae muneribus victum scio, unum illud oblivisci nunquam possim, quod tu olim me Italiae medio iter festinantis agentem, iam saeviente bruma, non affectibus solis, qui quasi quidam animi passus sunt, sed corporeo etiam motu celer, miro nondum visi

120 hominis desiderio, praevenisti, praemisso haud ignobili carmine.

Atque ita prius ingenii et mox corporis tui vultum mihi quem amare decreveras ostendisti. Sera tamen diei illius et ambigua iam lux erat, dum me longo postliminio redeuntem, et intra muros tandem patrios deprehensum, officiosa et supra meritum

125 reverenti salutatione complexus, renovasti illum poeticum cum Anchise congressum regis Arcadii: ‘cui mens iuvenili ardebat amore Compellare virum et dextrae coniungere dextram’.

. . . [In gratitude at any rate P. is not surpassed by any one.] Vale. [1359.]

Iohanni de Certaldo. Var. 25.

VCVNDVM negotium tuae mihi semper afferunt epistola; sed tum maxime dum solutii egens sum, quae mihi egestas inter vitae taedia frequens est. Non possum sane praetervehi primum illud ambiguum ubi ais, videre te satis e 5 successu rerum mearum Mediolanensem me perpetuum fore. De quo quod sentias siles, silentii causa expressa, quae ipsa certe non silet, quod videlicet in sententiam meam nil audeas dicere. Ita dum nihil dicis, plura dicis quam si multa dixisses. Saepe hercle silentium artificiosae eloquentiae magna pars est.

10 Video ergo in his verbis tam paucis multiplicem et ingentem sollicitudinem ac praevidentiam tuam, nec tuam modo sed multorum. Amici enim ferme omnes, his exceptis qui hic

sunt, quique mei abitus mentionem ceu infaustum aliquid exhorrent, omnes inquam alibi me terrarum mallent. In hoc enim absque ulla prorsus haesitatione convenient. 15

Sed ubinam? Hic discordia multa est. Pars Patavium, pars trans Alpes, pars in patriam vocat. Hae iustissimae voces essent, ni difficultatem impossibilitati proximam res haberet. Alii autem alio; pro desiderio suo quisque mihi praestabit hunc vel illum habitandi locum. In quo ego non tam iudiciorum 20 dissonantiam, quam amoris et piorum affectuum harmoniam miror; dumque acrius causas tantae varietatis examino, ipsa fateor varietas me delectat, et glorior ita me meis carum esse, ut alioquin praeclara et peracuta iudicia perstringat atque hebetet amor mei. Ego quidem inter amicorum opiniones, si 25 quid ipse de rebus meis sentiam interroger, ubi solitudo, ubi otium, ubi quies ac silentium sint, etsi magnae opes, honores, potentia, voluptates absint, eo me suspirare respondeam. Sed ubi ea sint fateor me nescire. Solitudo illa enim mea, ubi interdum non solum vivere sed et mori optabam, non his modo 30 quibus abundare solita est, sed securitate etiam caret. Testantur triginta vel eo amplius librorum volumina, quae olim ibi reliqueram nihil usquam tutius credens, quaeque non multo post praedonum manibus vix elapsa mihi ex insperato reddita, pallere nunc etiam et tremere videntur, et turbidum 35 loci statum unde evaserant fronte portendere; ita mihi diversorum illud amabile et ruris optatissimi spes aufertur . . .
[He finds it difficult to make any choice as to his residence, and impossible to foresee the result of a change.]

Transeo autem, memor me de his tecum anno altero, dum nos 40 haec eadem urbs et domus haberet, multa diseruisse nosque omnibus, quantum nostro consilio fieri potest, haud negligenter excussis in hoc demum resedisse, ut Italiae atque Europae rebus hoc in statu manentibus, non modo non alter Mediolano tutior rebusque meis aptior, sed nullus 45 omnino usquam praeter Mediolanum plene mihi conveniens locus esset. Vnam excipiebamus urbem Patavii; ad quam

postmodum profectus, ac de proximo prefecturus sum, ut
 utriusque loci accolis desiderium meum, non dico tollam aut
 50 minuam, quod nolim, sed alternatione leniam. Quamobrem
 an tu sententiam mutaris nescio; ego enim in proposito sum,
 ut huius magnae¹⁰ urbis strepitum, haec taedia aliis taediis
 urbanis in totum permutare boni nihil, mali forte aliquid, et
 laboris haud dubie plurimum habeat . . . [If he could find
 55 a home where there was true solitude, he would fly to it.]

Quod proximum in tuis litteris erat elegantissime cavillaris,
 quod a Cicerone scilicet etsi non merear, propter coniunctionem
 tamen nimiam laesus sim . . . [It is those who are nearest
 to us who can injure us most deeply.] Vt omissis iocis rem ipsam
 60 plane noveris, vulnus illud Ciceronianum de quo ludere sole-
 bam, ludum mihi vertit in luctum. Parum deerat anni circulo
 dum in dies peius habens, inter taedia et angores, inter medicos
 et fomenta senescerem. Ad extremum, dum non modo fastidii,
 sed vitae quoque pertaesum esset, statui sine medicis quem-
 65 cumque rei exitum opperiri, meque Deo ac naturae potius
 committere quam his unguentariis in meo malo suae artis
 experimenta captantibus. Atque ita factum est. Illis exclusis,
 caelestis ope medici ac unius adolescentis qui mihi servit et in
 meo ulcere meaque, ut dicitur, impensa medicus evasit,
 70 fomentorum memor, quae mihi ex omnibus salubriora nota-
 veram, usus opera, et adiuta per abstinentiam natura|| ad
 salutem ipsam, unde magnis passibus discesseram, pedetentim
 redeo . . . [He mentions an incident of some Italian princes
 finding a refuge for the night by using his, P.'s, name.]

75 Quod petis extremum, est videlicet Homeri librum qui
 venalis erat Patavii; si, ut reris, emerim, tibi accommodem,
 quando, ut ais, alter ab olim mihi est, quem Leo noster^{*} tibi
 (autius Platini
.u.p.247f.) atque aliis studiosis conterraneis nostris e Graeco in Latinum
 vertat. Illum ego librum vidi sed neglexi, quod meo impar
 80 visus esset. Haberi autem facile poterit, illo agente qui mihi
 Leonis ipsius amicitiam procuravit, cuius apud illum efficaces
 erunt litterae, et ego meas adiiciam. Si is forte nos frustratur

liber, quod non suspicor, tunc meus praesto erit. Nam et ego eius translationis in primis et Graecarum omnium cupidissimus litterarum semper fui, et nisi meis principiis invidisset fortuna, 85 et paeceptoris eximii haudquaquam opportuna mors, hodie forte plus aliquid quam elementarius Graius essem.

Et nunc coeptis vestris pro virili parte libens faveo, ut qui translationem illam veterem, Ciceronis opus, quantum intellegere est, cuius principium *Arti Poeticae* Flaccus inseruit, 90 Latinitati perditam, ut multa alia, et doleo et indignor, et in hac tanta sollicitudine rerum pessimarum, hanc tantam optimarum negligentiam aegre fero. Sed quid agam? Ferre oportet; quod si externa industria nostrae forsitan ignaviae succurri potest, Musis faventibus nostroque fiat Apolline. 95 Nulla mihi vel Serum, vel Arabum Rubrique litoris merx gravior . . . [On the use of the word 'merx' in the nominative.] Nam si ad verbum, ut dicis, soluta oratione res agenda est, de hoc ipso loquentem Hieronymum audite, in proemio libri *De Temporibus* quem ab Eusebio Caesariensi editum in Latinum 100 transtulit. Verba enim ipsa posui viri ipsius utriusque linguae aliarumque multarum peritissimi, et in ea praesertim facultate famosissimi. 'Si cui' inquit 'non videtur linguae gratiam interpretatione mutari, Homerum ad verbum exprimat in Latinum; plus aliquid dicam; eumdem in sua lingua prosae 105 verbis interpretetur; videbit ordinem ridiculum et poetam eloquentissimum vix loquentem.' Haec dixi, ut, dum tempus est, videoas ne tantus labor irritus sit. Ego rem utcumque fieri cupio; tanta enim mihi litterarum nobilium fama est, ut valde esurientis in morem, qui coci artificium non requirit, 110 fiendum ex his qualemcumque cibum animae magno cum desiderio exspectem. Et profecto quoddam breve, ubi Homeri principium Leo idem solutis Latinis verbis olim mihi quasi totius operis gustum obtulit, etsi Hieronymi sententiae faveat, placet tamen; habet enim et suam delectationem abditam; 115 ceu quaedam epulæ, quas gelari oportuit, nec successit, in quibus etsi forma non haereat, sapor tamen odorque non

pereunt. Pergat ergo bene iuvantibus deis, et Homerum nobis perditum restituat. Quoad alios, pium propositum divinitus 120 prosequetur. Nam quod Platonicum volumen, quod ex illo Transalpini ruris incendio eruptum domi habeo, simul poscitis, vestrum mihi commendat ardorem et id ipsum paratum erit tempore. Nec omnino aliquid tantis coeptis per me deerit. Sed videndum vobis est, ne hos duos tantos principes Graiorum 125 uno fasce convolvere iniuriosius sit, et mortales humeros prae- gravet divinorum pondus ingeniorum. Aggrediatur, Deo auspice, e duabus alterum, et illum primo qui multis saeculis prius scripsit. Vale. Mediolani, xv. Kalendas Sept. [1360].

Carolo IV. Imp. Aug. Fam. xxiii. 8.

SAVIORES multo quam pro utriusque nostrum fortuna litteras tuas, Caesar, aliquot mensibus postquam datae erant ad me noveris pervenissem; simulque cratera pretiosissimum quem mihi ‘auro solidum atque asperum signis’, ut Vergilii verbis 5 utar, non meae quidem sed tuae sortis munus eximium destinasti. O! non hominum modo sed rerum omnium sors stupenda! Vasculum insigne materia, insigne artificis ingenio, sed super omnia ore Caesareo consecratum, a tuis in meos translatus usus, quamvis ego illo quidem non tam utar hoc com- 10 muni usu, quam libabo, dicerem, ad aras, si nobis qui veterbius mos esset; nunc vero mensis lautioribus rarum ad spectaculum adhibito dies festos exornabo, habebo illum in deliciis, ostendam mirantibus amicis et gaudentibus; nec minus aequem auream epistolam tuam, quam ad tuae humanitatis meaeque licet 15 immeritae gloriae certam fidem, dum vita comitabitur, asser- vabo, quotiensque quam tu bonus ego felix sim probare voluero, ad iudicium illa vocabitur; denique gemino semper tali munere gloriabor, pro quo grates agere tentarem, si aut mihi sat virium ad exprimendum tam vehementes animi conceptus, 20 aut tibi ad tuorum affectus intuendum verbis opus esset.

Quid vero nunc ad litteras ipsas dicam? Tu qui regibus

iubes, qui gentibus imperas, tu me rogas, Caesar ? Ego autem tanto magis precibus moveor quam praeceptis, quanto maior tua est virtus quam imperium. Sed quid fiet ? Hinc animi promptitudo, hic rerum perplexitas multa est. Huccine enim 25 quaeso tot mearum epistolarum clamor irritus pervenit, ut vocatus totiens, tam diu tamque anxie tamque a multis expectatus, ad extremum te vocantem ad te voces, quodque in litteris profiteri tua dignata clementia est, desideres, exspectes ? Quid hic, inquam, fiet Caesar ? Tu me in Germaniam, ego in 30 Italiam te voco. Tu auctoritate me superas, ego te causa. Tu me ad delectationem honestam, non infiteor, iucundamque, ego te ad virtutem atque officium necessarium ac debitum usque adeo, ut ob hoc unum in lucem editus videare ; cuius executio te felicem caelo, clarum posteris transmissura sit. 35 Parere tamen est animus, et causa victor, tuo imperio vinci velim. Sed multa obstant.

Primum aestas sic naturae meae hostis, ut hac temporis parte non vivere sed languere quodammodo videar ac torqueri, quae si molesta mihi semper fuit, quid nunc putas quando minus 40 aestum forte metuam sed laborem magis ? Nunquam tam iuvenis quidem fui ut nescirem me senescere ; sciebam vero nec sentiebam ; quin hactenus, ceu qui navi vectus dormiens secundo alveo descendit, nil sentiens procedebam. Ecce iam sensim, Caesar, incipio aetatem sentire, fragiliorque et in dies 45 tardior fieri. Accedit quod, etsi tu omnium maior, etsi tuus ille penes quem iamdudum ago, non modo licentiam daturus videatur, sed ut animum eius novi, ipse quoque venturus si tu iubeas, mihi tamen, dum sub umbra eius sum, licentia opus est. Verum hoc non magni facio, quia, ut dixi, nihil ille, ni fallor, 50 negaturus domino suo sit.

Quid de libellis autem meis faciemus, quorum mihi etsi non nimium, at pro ingenii ac doctrinae inopia satis est, quibus etsi forte onerer potius quam orner, longa tamen consuetudine sic affectus sum ut sine illis esse nesciam ? His transvehendis, ut 55 vides, Caesar, non Alpium sola obstat asperitas et longissimi

labor itineris, sed praedonum metus et viarum mille pericula, quorum extimatio saepe quidem ad illud sapientis Hebraeorum flectere animum me cogit, ubi cunctas res difficiles 60 praegnanti brevitate pronuntiat. Sic est enim, et sic esse qui dubitat, yivat modo et ante senium intelliget; nam profecto si senuit, intellexit; alioquin, non senuit, mihi crede, sed marcuit atque oculis clausis iter longum egit. Dicam tamen inter difficultia ac perplexa quid cogitem. Si cedente aestate, 65 et superioris mei fidelis tui consensus et viae comes adfuerint, venire quantamque tibi placitum moram trahere, et librorum et sodalium et patriae absentiam sola Caesarei vultus optata multum mihi praesentia consolari. Vive feliciter et vale, Caesar, nostri memor. Patavii, xv. Kalendas Augusti [1361].

Iohanni de Certaldo. Fam. xxiii. 19.

ANNO exacto post discessum tuum generosae indolis Adolescens mihi contigit, quem tibi ignotum doleo, etsi ille probe te noverit, quem saepe Venetiis in domo tuo, quam inhabito, et apud Donatum nostrum vidit, utque est mos 5 aetatis illius, observavit attentius. Vt vero et tu illum noris qua datur eminus, et in litteris illum meis videas, ortus est Adriae in litore ea ferme aetate, nisi fallor, qua tu ibi agebas cum antiquo plagae illius domino, eius avo, qui nunc presidet. Adolescenti origo ac fortuna humilis. Verum abstinentia et 10 gravitas vel in sene laudabilis, acre ingenium ac facile, rapax memoria et capax, quodque est optimum tenax. *Bucolicum* meum carmen, duodecim ut scis distinctum eglogis, undecim continuis diebus didicit, memoriterque servavit ita, ut singulis diebus ad vesperam unam mihi eglogam, novissimeque duas 15 tam constanter nilque haesitans recitaverit, quasi sub oculis liber esset. Est sibi praeterea, quod raro nostra habet aetas, inventionis magna vis ac nobilis impetus, et amicum Musis pectus, iamque, ut ait Maro, et ipse facit nova carmina, et si vixerit atque ut spero cum tempore creverit, quod de Ambrosio 20 vaticinatus est pater, aliquid magni erit.

Multa de illo iam nunc dici possunt; pauca de multis. Audivisti unum. Nunc etiam audi et virtutis et scientiae fundamentum optimum. Non vulgus tam pecunias amat et expedit quam hic odit ac respuit. Nummos illi ingerere irritus labor est. Victui necessaria vix admittit. Solitudinis studio 25 ieuiunioque et vigiliis mecum certat, saepe ille superior. Quid multa? Iis me moribus sic promeruit ut non minus mihi quam filius quem genuisse carus sit, et fortassis eo carior quod filius, ut mos est adolescentium nostrorum, imperare vellet, hic parere studet, nec suis voluptatibus sed meis vacat obsequiis, 30 et hoc quidem nulla cupidine seu spe praemii, sed solo amore tractus, et fortasse sperans nostro fieri melior convictu. Iam ante biennium ad me venit, venissetque utinam maturius; sed per aetatem non multo ante potuisse. Familiares epistolas (1) meas soluto sermone editas, quae ut multae numero, sic et 35 multi utinam pretii essent, inter confusionem exemplarium et occupationes meas paene iam desperatas, et quattuor ab amicis opem mihi pollicitis tentatas, et ab omnibus calle medio desertas, iste unus ad exitum perduxit, non quidem omnes, sed eas quae uno non enormi nimium volumine capi possent; 40 quae, si hanc illis inseruero, numerum trecentarum et quinquaginta complebunt, quas tu olim illius manu scriptas, praestante Deo, aspicies, non vaga quidem ac luxurianti littera, qualis est scriptorum seu verius pictorum nostri temporis longe oculos mulcens, prope autem afficiens ac fatigans, quasi ad 45 aliud quam ad legendum sit inventa, et non, ut grammaticorum princeps ait, littera quasi legitera dicta sit, sed alia quadam castigata et clara seque ultro oculis ingerente, in qua nihil orthographicum, nihil omnino grammaticae artis omissum dicas.

Et de his hactenus. Ut vero in his ultimum sit litteris quod primum in animo meo fuit, est hic quidem in primis ad poeticam pronus, in qua si pergit usque adeo ut cum tempore animum firmet, ad certum aliquid et mirari te coget et gaudere. Adhuc tamen per imbecillitatem aetatis vagus est, neandum 55 satis quod dicere velit instituit, sed quidquid dicere vult, alte

admodum dicit atque ornate. Itaque saepe illi carmen excidit non sonorum modo sed grave et lepidum maturumque, et quod poetae senis putes, nisi noscas auctorem. Firmabit, ut spero,
60 animum ac stilum, et ex multis unum suum ac proprium conflabit, et imitationem non dicam fugiet, sed celabit, sic ut nulli similis adpareat, sed ex veteribus novum quoddam Latio intulisse videatur. Nunc usque autem imitationibus gaudet, quod suum habet aetas illa, et interdum alieni dulcedine
65 raptus ingenii, contra poeticam disciplinam sic in altum desilit, ut operis lege vetitus, referre pedem, nisi visus et cognitus, non possit. In primis sane Virgilium miratur. Mire id quidem ; cum enim multi vatuum e numero nostrorum laudabiles, unus ille mirabilis est. Huius hic amore et illecebris captus, saepe
70 carminum particulas suis inserit. Ego autem qui illum mihi succrescentem laetus video, quique eum talem fieri qualem me esse cupio, familiariter ipsum ac paterne moneo videat quid agit. Curandum imitatori, ut quod scribit simile non idem sit, eamque similitudinem talem esse oportere, non qualis est
75 imaginis ad eum cuius imago est, quae quo similior eo maior laus artificis ; sed qualis filii ad patrem, in quibus cum magna saepe diversitas sit membrorum, umbra quaedam et quem pictores nostri aerem vocant, qui in vultu inque oculis maxime cernitur, similitudinem illam facit, quae statim viso filio patris
80 in memoriam nos reducat, cum tamen si res ad mensuram redeat, omnia sint diversa ; sed est ibi nescio quid occultum quod hanc habeat vim. Sic et nobis providendum, ut cum simile aliquid sit, multa sint dissimilia, et idipsum simile lateat, nec deprehendi possit, nisi tacita mentis indagine, ut intelligi
85 simile queat potius quam dici. Utendum igitur ingenio alieno, utendumque coloribus, abstinendum verbis. Illa enim similitudo latet, haec eminet. Illa poetas facit, haec simias. Standum denique Sencae consilio, quod ante Senecam Flacci erat, ut scribamus scilicet sicut apes mellificant, non servatis floribus,
90 sed in favos versis, ut ex multis et variis unum fiat, idque aliud et melius.

Haec dum saepe secum agerem et ille semper intentus ceu
patrios monitus audiret, incidit ut nuper ex more illum ad-
monenti tale responsum daret : ‘ Intelligo enim ’ inquit ‘ et
fateor ita esse ut dicis. Sed alienis uti, paucis quidem et id 95
raro, multorum atque ante alios vestri permiserim ab exemplo.’
Hic ego admirans : ‘ Si quid ’ inquam ‘ fili, tale meis in car-
minibus invenis, scito id non iudicii mei esse, sed erroris. Etsi
enim mille passim talia in poetis sint, ubi scilicet alter alterius
verbis usus est, mihi tamen nihil operosius in scribendo nihilque 100
difficilius se offert, quam et mei ipsius et multo maxime pree-
cedentium vitare vestigia. Sed ubinam, quaeso, est unde
hanc tibi licentiam ex me sumis ? ’ ‘ Sexta ’ inquit ‘ tui
Bucolici carminis egloga est, ubi haud procul a fine versus unus
ita desinit : atque intonat ore.’ Opstupui ; sensi enim, illo 105
loquente, quod me scribente non senseram, finem esse Virgiliani
versus sexto divini operis ; idque tibi nuntiare disposui, non
quod ullus correctioni amplius locus sit, carmine illo late iam
cognito ac vulgato, sed ut te ipsum arguas, qui mihi errorem
meum hunc indicari prius ab alio passus sis, vel si id forsitan 110
ignotum tibi hactenus fuit, notum esse incipiat, simulque illud
ocurrat, non solum mei studiosi licet hominis, multa tamen
litterarum et ingenii penuria laborantis, sed nec ullius cuius-
libet docti viri studium sic par rebus, quin multum semper
humanis desit inventionibus, perfectionem sibi reservante illo, 115
a quo est modicum hoc quod scimus aut possumus. Postremo
et mecum ipse Virgilium ores det veniam, nec moleste ferat si,
cum ipse Homero, Ennio, Lucretio, multisque aliis multa saepe
rapuerit, ego sibi non rapui, sed modicum inadvertens tuli.
Vale. Ticini, v. Kalendas Novembres [1366].

120

Pulici Vicentino. Fam. xxiv. 2.

IN suburbano Vicentino per noctem hospitatus novam
scribendi materiam inveni. Ita enim accidit ut sub meri-
diem Patavio digressus, patriae tuae limen attingerem, vergente

iam ad occasum sole. Ibine igitur pernoctandum an ulterius
 5 procedendum (quod et festinabam et longissimae lucis pars
 bona supererat) deliberaturus haerebam; dum ecce (quis se
 celet amantibus?) tuus, et magnorum aliquot virorum, quos
 abunde parva illa civitas tulit, gratissimus interventus dubium
 omne dimovit. Ita enim fluctuantem animum alligastis varii
 10 et iucundi fune sermonis, ut ire cogitans staret, et non prius
 labi diem quam noctem adesse perpenderet. Et illo die et
 saepe alias expertus sum, nulla re alia magis tempus non
 sentientibus eripi quam colloquiis amicorum. Magni fures
temporis sunt amici, etsi nullum tempus minus eruptum, minus
 15 perditum videri debeat, quam quod post Deum amicis im-
 penditur. Illic ergo, ne infinita recenseam, meministi ut forte
Ciceronis mentio nobis oborta est, quae crebra admodum
 doctis hominibus esse solet. Ille tandem vario colloquio finem
 fecit; in unum versi omnes; nihil inde aliud quam de Cicerone
 20 tractatum est. Symbolum confecimus, et palinodiam sibi, seu
 panegyricum dici placet, alternando cecinimus.

Sed quoniam in rebus mortalium nihil constat esse perfectum,
 nullusque hominum est in quo non aliquid, quod merito carpi
 queat, modestus etiam reprehensor inveniat, contigit, ut dum
 25 in Cicerone, velut in homine mihi super omnes amicissimo et
 colendissimo, prope omnia placerent, dumque auream illam
 eloquentiam et caeleste ingenium admirarer, morum levitatem,
 multisque mihi deprehensam indicis inconstantiam non lauda-
 rem. Vbi cum omnes qui aderant, sed ante alios senem illum,
 30 cuius mihi nomen excidit, non imago, conterraneum tuum,
 annis verendum litterisque, attonitos viderem novitate sen-
 tentiae, res poscere visa est ut codex epistolarum mearum ex
 arcula promeretur. Prolatus in medium addidit alimenta
 sermonibus; inter multas enim ad coetaneos meos scriptas,
 35 paucae ibi, varietatis studio et amoeno quodam laborum
 diverticulo, antiquis illustrioribus inscribuntur, quae lectorem
 non praemonitum in stuporem ducant, dum tam clara et tam
 vetusta nomina novis permixta compererit. Harum duae ad

ipsum Ciceronem sunt; altera mores notat, altera laudat ingenium. Has tu intentis omnibus cum legisses, mox amica ⁴⁰ lis verbis incaluit, quibusdam scripta nostra laudantibus et iure reprehensum fatentibus Ciceronem, uno autem illo sene obstinatus obluctante, qui et claritate nominis et amore captus auctoris, erranti quoque plaudere et amici vitia cum virtutibus amplecti mallet quam discernere, nequid omnino ⁴⁵ damnare videretur hominis tam laudati.

Itaque nihil aliud vel mihi vel aliis quod responderet habebat, nisi ut adversus omne quod diceretur, splendorem nominis obiectaret, et rationis locum teneret auctoritas. Succlamabat identidem protenta manu: ‘parcius, oro, parcius de Cicerone ⁵⁰ meo.’ Dumque ab eo quaereretur an errasse unquam ulla in re Ciceronem opinari posset, claudebat oculos, et quasi verbo percussus avertebat frontem ingeminans: ‘heu! mihi ergo Cicero meus arguitur?’ quasi non de homine, sed de deo quodam ageretur. Quaesivi igitur an deum fuisse Tullium ⁵⁵ opinaretur an hominem. Incunctanter ‘deum’ ille respondit, et quid dixisset intelligens, ‘deum’ inquit ‘eloquii’. ‘Recte’ inquam, ‘nam si deus est, errasse non potuit. Illum tamen deum dici nondum audieram. Sed si Platonem Cicero suum deum vocat, cur non ut deum tuum Ciceronem voces, nisi quia ⁶⁰ deos pro arbitrio sibi fingere non est nostrae religionis.’ ‘Ludo’ inquit ille; ‘hominem, sed divino ingenio, fuisse Tullium scio.’ ‘Hoc’ inquam ‘utique rectius. Nam caelestem Quintilianus dicendo, verum dixit. Sed si homo fuit, et errasse profecto potuit et erravit.’ Haec dum dicerem, cohorrebat, et quasi non ⁶⁵ in famam alterius, sed in suum caput diceretur, aversabatur.

Ego vero quid dicerem Ciceronianus nominis et ipse mirator maximus? Senili ardori et tanto studio gratulabar, quiddam scilicet Pythagoreum redolenti; tantam unius ingenii reverentiam esse, tantam religionem, ut humanae imbecillitatis in ⁷⁰ eo aliquid suspicari sacrilegio proximum haberetur, gaudebam, mirabarque invenisse hominem, qui plus me illum diligeret, quem ego semper p[ro]ae omnibus dilexissem, quique, quam mihi

puero fuisse memineram, eam de illo senex opinionem gereret
 75 altissime radicatam ; nec cogitare quidem posset ea aetate,
 homo si fuit Cicero, consequens esse ut in quibusdam, ne dicam
 multis, erraverit. Quod ego certe iam partim cogito, partim
 scio, etsi adhuc nullius aeque delector eloquio ; nec ipse, de quo
 loquimur, Tullius ignorat, saepe de propriis graviter questus
 80 erroribus, quem nisi sic de se sensisse fateamur, laudandi libi-
 dine et notitiam sui ipsius et magnam illi partem philosophicae
 laudis eripimus, modestiam. Ceterum nos die illo post longum
 sermonem, hora demum interpellante, surreximus, atque inde
 integra lite discessum est . . . [He is now sending Pulice a copy
 85 of the two letters to Cicero.] Vale. III. Idus Maias. Ex itinere.

[1351.]

Socrati suo. Fam. xxiv. 13.

A te principium, in te finis. Habis ergo, mi Socrates, quod
 optasti, librum e meis magis multa rerum ac verborum
 imparitate contextum, haud immerito delicatas aures offenditur
 opus ; quamvis, ut est animus mortalium vagus et
 5 varius, et velle suum cuique est, quibusdam fortasse, quibus
 qualitas rerum non placebit, ipsa haec sit placitura varietas.
 Ignoscent vero alii si meminerint huc me non mea sponte sed
amicis tractum precibus descendisse, parendique cupidine nec
aliena iudicia nec occupationes meas atque irreparabilem huius
 10 exigui et incerti temporis pertimuisse iacturam. Nam tu, si
 quid offenderit, non mihi, sed tibi veniam dabis, et dices :
 ‘hoc volui ; negare ille nil potuit tanto mei amantior quanto
 negligenter sui.’ Sed quidem nullus pluris est amicus, quam
 cui famae propriae constat impendio. Multis, et praesertim
 15 bonis, vita atque operibus carior fama est, quam qui pro amico
 spreverit, haud dubie viliora contemnet, si res exigat. Et hoc
 quidem opus adolescens coepi, senex perago ; immo vero
 coeptum prosechor. Vnum est enim hoc ex omnibus, cui
 supremam sola mors imponet manum. Quomodo ego alium
 20 amici colloquii quam vitae finem sperem ? Aut quaenam dies

me spirantem inter eos tacitum efficiet, cum quibus ore gelido sepultusque loqui cogito?

Hinc sane non rerum sed temporum rationem habui. Praeter has enim ultimas yeteribus inscriptas illustribus viris, quas propter similitudinem novitatis sciens unum simul in locum contuli, ac praeter primam quae dictata serius praevenit comites et locum praefationis obtinuit, cetera paene omnia quo inciderant scripta sunt ordine. Ita enim et progressus mei seriem (si ea forte cura fuerit), vitaeque cursum lector intellicet. In quibus fateor, ne semel dicta repeterem, bisque vel saepius idem ponerem, quod incipiens promiseram ad plenum praestare non potui. Volui quidem, sed multitudo rerum obstitit varietasque ipsa, et occupati interim intentique aliis animi violenta distractio. Nunc quoniam et hinc calamum multa circumsonant atque in diversum vocant, et quantum 35 vitae restet incertum habeo, et hic liber satis crevit, nec nisi iusti voluminis meta transcenditur, plurium capax est; quae huius quidem generis scripta iam supererant, his avulsa extra ordinem alio quodam digessi volumine. Quae scribenda ^{Varia} autem, si quid tale nunc etiam sum scripturus, ab aetate ⁴⁰ ~~iam~~ ^{tempore} nomen habitura, rursus alio venient claudenda volumine, quando et vos eo estis animo, sodales, ut meum aliquid vobis subtrahi nolitis; et ego ita sum ut vota vestra semper anteponenda meis arbitrer... [He hopes that he will not be thought to be one of those who enjoy only their own works.] Vale. [1361.] ⁴⁵

*In Epistolas Rerum Senilium ad Simonidem suum
Praefatio. Sen. i. i.*

OLIM Socrati meo scribens questus eram, quod aetatis huius annus ille MCCCXLVIII omnibus me prope solatiis vitae amicorum mortibus spoliasset; quo dolore, nam memini, questibus et lacrimis cuncta compleveram. Quid nunc primo et sexagesimo faciam anno, qui cum cetera ornamenta ferme 5 omnia, tum id quod carissimum unicumque habui ipsum mihi

Socratem eripuit. Nolo per aliorum casus stilum ducere, ne tristis mihi fletum renovet memoria, et annus hic pestilens qui illum in multis locis perque hanc maxime Cisalpinam Galliam 10 non aequavit modo, sed vicit; quique inter ceteras Mediolanum, florentissimam frequentissimamque urbem his hactenus malis intactam, paene funditus exhausit, me, quod nolim, iterum in querelas, neque hac aetate neque iis studiis neque omnino me dignas, cogat. Multa mihi tunc permisi quae nunc 15 nego. Spero non me flentem cernet amplius fortuna; stabo si potero; si minus, siccum sternet ac tacitum. Turpior est gemitus quam ruina.

Ad id quod dicturus sum progredior. Est ad Socratem *Liber Familiarum Rerum* noster, corpore quidem ingens et si sinere-
tur ingentior futurus; proinde quod illic praesagiebam video,
nullus mihi alias epistolaris stili quam vitae finis ostenditur.
Itaque si quid tale mihi deinceps vel amicorum instantia vel
rerum necessitas extorserit (ego enim rerum conscius mearum
non quid iam sarcinis adiiciam quaeso, sed quid detrahamb),
totum tibi inscribere est animus, cui prosam familiariorem scio
quam carmen. Quantum sane vel rerum vel vitae superet incertum est;
quantulumcumque tamen id fuerit, boni consules
quod, etsi modicum, totum sit. Neque vero secundi loci
sortem indignabere, aut Socratem tibi praelatum credes, sed
memineris ea te mihi tempestate nondum cognitum qua opus
illud incoepsum est, in quo tum multa sunt ad te, cui necdum
Simonidis nomen indideram; quin hoc ipsum quidquid erit,
quasi enim iactum retis tibi dono. Eo gratius accipies quo
serius et libratoriæ enim et rariora esse solent senum dona quam
35 iuvenum. [1361.]

Talarando, Albanensi Episcopo et Cardinali. Sen. i. 4.

LITTERAS pridem tuas, amantissime pater, inque eis apostolicum praeceptum, reverenti gaudio stupens legi, ad quas familiaris tui illius festinatio iustum respondendi spatium non dedit. Respondi tamen, ut potui, idque perbreviter, sed pure

et quod litteris defuit notae fidei nuntii commisisse contentus 5
fui. Ecce nunc iterum aliis atque aliis de eadem re et litteris
pulsor et nuntiis, quibus et stupor meus crescit et gaudium.
Nam quis, quaeso, non stupeat, simulque non gaudeat, si
amicus sit vicario Iesu Christi, qui me magicum non tantum
suspiciari sed affirmare soleat, opinionem hanc, de me falso 10
conceptam semperque hactenus contra tuum eloquium ac
multorum illam extirpare volentium pertinaciter defensam,
nunc repente non modo deposuisse, sed opinione alia permu-
tasse tam diversa, ut, cuius horrere videretur alloquium atque
aspectum, eius nunc secretam conversationem ac fidele obse- 15
rium donis poscat et precibus? Magna vis veri est; impelli
potest prosternique mendacio, non extingui. Per se ipsum,
cum aliquamdiu iacuerit, altius assurget et clarius.

Parcat autem illi Deus, qui falsae illius opinionis auctor fuit.
Magnus ille quidem vir, nempe tui ordinis non ultimus, et 20
praeterea iurisconsultissimus, quodque mirabiliorem facit
errorem, et experientiae multiplicis et proiectae admodum
aetatis; nisi forte non error ille aliquis, sed odium solum fuit,
quamvis error nullus maior possit esse quam crimen, neque
vero tam turpiter quisquam errat, quamlibet ridiculum aliquid 25
ineptum sibi ignorans finxerit, quam qui sciens Deum odit
aut proximum. Quaecumque demum fuerit causa, magicum
ille me dixit nec erubuit afferre rationem, quod Virgilii libros
legerem, seu legisset; et invenit fidem.

En ingenia, quibus rerum summa commissa sit! De his vero 30
quotiens riserimus tu nosti, eo ipso nonnunquam praesente,
cui delator meus persuaserat, donec illo tandem ad Papatum
ejecto res ludicra esse desiit, atque ad iram tuam vergere
coepit ac dolorem meum. Non quod aliquid ab eo magnopere
cuperem; ambitiones meae notae tibi omnes sunt; sed cum 35
Benedictus adolescentiam et iuuentam Clemens meam, non
dico innocentem sed a turpibus studiis ac maleficis artibus
abhorrentem agnovisset, senectutem meam Innocentio su-
spectam esse, non dolere non poteram. Proinde per id tempus,
quo ille consconderat, nescio an unquam reversurus, inde abiens, 40

dum tu me valedictum ipso etiam volente ducere voluisses, abnui, ne aut illi mea magica aut mihi molesta | credulitas sua esset. Scis me verum loqui, teque non semel frustra nixum, ne insalutato illo proficiscerer.

45 En quid mihi venenosa vox contulit unius viri, cui nulla quidem in me odii ratio erat ! Sed sine causa nihil fit ; oderat ille me non propter me quidem, sed propter illum, cui familiarissimum me fuisse meminerat, propter quem et te ipsum oderat ; sed odii sibi conscius iniusti erga utrumque nostrum, 50 simulator callidus amicitiam fingebat (nota tibi commemoro), sicut sepulto illi, ipsius nec lenitus morte, ipsis bellum cineribus indixerat. O tristis et caeca rabies animi, propagatrix pestilens odiorum ! Certe si inimicos diligere dominico iubemur imperio, quid iis fiet quibus inimicos etiam extinctos odisse non sufficit, nisi amicos illorum omnes immortalis odio insequantur ? Sive autem vivax odium, sive pudor mutandi quod dixerat, causa esset, suggestionem hanc aluit dum vixit, et quam plantaverat irrigavit. Gratias Deo, quod mendacium veritas, mors mendacem vicit.

60 Non credit profecto magum Pontifex, quem secretarium vult, nec scelestis operam dare carminibus, quem interioris thalami arcano dignum et sacris aptum censem epistolis. Magnas sibi pro tantis honoribus nec minores pro tali errore deposito grates ago ; etsi enim opinionibus vagis ac falsis quati nequeant 65 constantes animi, sine quodam tamen angore non fuerat apud animum meum falsa licet opinio tanti viri ; neque ullo pacto velim diuturnam adeo fuisse, ut de me talia sentientem vel mea illum vel sua dies ultima inventura fuerit. Scio autem exspectari responsum meum, et quamvis humilitatem meam 70 illinc et Pontificis pietas et tua humanitas et amicorum preces et lacrimae vehementer trahant, hinc meorum consilia impellant, fixus tamen in proposito primo sum . . . [The Bishop is acquainted with P's desires.] Excusabis me iterum Pontifici, ne quod modestiae est insolentiae tribuatur. Quod saepe 75 me honestavit, tuum modo me defendat eloquium. Nomi-

navi duos compatriotas meos, et si tanto officio par creditus, extimator aliorum dignus censeor, est uterque dignissimus. Ego tamen, qui effectum rei celerem ac felicem cupio, nam utrumque litteris meis experiri volui, et quod vaticinabar reperi. Alter onerosum respuit honorem, alter si requiritur 80 praesto est. Vbinam vero sit quaerendus et quidquid in rem est, tuus hic nuntius novit. Hoc extremum Papae dicit: si hunc habet, me quidem et quidquid ex me quaerebat plusque aliquid invenerit. Vna est patria, unum nomen, unus animus, unum ingenium, unus stilus, vita illa clarior et sacerdotio in- 85 signis. Vale, Ecclesiae decus ac nostrum. [1361 or 1362.]

Iohanni de Certaldo. Sen. i. 5.

MAGNIS me monstris implevit, frater, epistola tua, quam dum legerem, stupor ingens cum ingenti moerore certabat. Vterque abiit, dum legisset. Quibus enim oculis nisi humentibus tuarum lacrimarum tuique tam vicini obitus mentionem legere potui, rerum nescius omnino solisque in- 5 hians verbis? . . . [As to P.'s leaving Italy for Germany, only a short visit to the Emperor had been intended, and the wars had prevented even that.] Scribis nescio quem Petrum Senensem, patria, religione insigni et miraculis insuper clarum virum, nuper obeuntem, multa de multis, inter quos de utroque nostrum 10 aliqua praedixisse, idque tibi per quemdam, cui hoc ille commiserat nuntiatum . . . [P. will be better able to appreciate the value of the prophecy, when he has seen the messenger.] Nos duos aliosque nonnullos ex hac vita descendens ille vir sanctus vidit, ad quos quaedam secretiora committeret huic suae huius 15 modi ultimae voluntatis executori, industrio ut tu extimas ac fideli; haec, ni fallor, historiae summa est.

Ceterum quid ex hoc alii audierint in dubio est; tu quod ad statum tuum attinet, duo haec (nam cetera supprimis) audisti. Vitae tuae terminum instare, paucorumque tibi iam 20 tempus annorum superesse. Hoc primum tibi. Praeterea

poeticae studium interdici. Hoc secundum ultimumque. Hinc illa consternatio moerorque ille tuus quem legendo meum feci meditandoque deposui, et tu, si mihi aurem, immo si tibi, si 25 rationi insitae animum praestas, abiicies, et videbis inde te doluisse, unde potius sit gaudendum. Non extenuo vaticinii pondus. Quidquid a Christo dicitur verum est. Fieri nequit ut veritas mentiatur. At id quaeritur, Christusne rei huius auctor sit, an alter quispiam ad commenti fidem, quod saepe 30 vidimus, Christi nomen assumpserit . . . [A digression on the foretelling of death among the Greeks.]

An tu, quaeso, modicum vitae esse quod superest, si iste tibi non diceret, ignorabas ? . . . [The brevity of human life is proverbial.] Nihil denique nisi luctus et laboris area vita est, 35 quae hic agitur, quod unum bonum habet ; ad aliam vitam via est, alioquin non contemptibilis modo, sed odiosa prorsus ac misera, et de qua consideratissime dictum sit longe optimum non nasci, proximum quamprimum mori . . . [He quotes Ambrose, Cicero, and Lactantius on the vanity of human life.] 40 Non mors itaque metuenda, quae frustra metuitur, sed corrigenda vita est, quae res una ne mors sit formidolosa praestabit. Habenda nobis interim ipsa cum morte familiaritas quaedam, nec tantum nomen illud horribile, sed rei ipsius estimatio atque imago in commercium arcessenda, ut 45 quam saepe meditati erimus, venientem excipiamus intrepidi, nec ut incognitam horreamus . . . [This was the opinion of Plato and St. Paul. He quotes St. Ambrose on the death of his brother.]

Illud potius mirare contigisse tibi, quod nescio an cuiquam 50 alteri praeter Ezechiam regem omnibus saeculis acciderit, ut scilicet tui vatis elogio certus sis, aliquot annos vitae tibi nunc etiam restare. Neque enim tam pauci esse possunt, quin saltem duo sint. Sic, ubi nemo mortalium diei unius, nemo vel horae intelligere [sic], tu annorum teneas sponzionem, nisi forte 55 proximam nuntianti mortem creditur, non sic vitae spatium exprimenti. Et est hoc sane in his vanitatibus importunum,

ut ex malis nuntiis timor dolorque certus oriantur, ex bonis inane gaudium, spes incerta, utcumque res casura est. An non Virgiliani carminis meminisse oportuit : ‘Stat sua cuique dies, breve et irreparabile tempus Omnibus est vitae, sed famam ex-
tendere factis, Hoc virtutis opus’ ? factis, inquam, non tenuem famae sonum aucupantibus, sed virtutem ipsam, quae ne-
cessario e se verae gloriae umbram iacit; dicerem salutare;
diceremque unicum in hac rerum perplexitate consilium,
ni, poeticum sciens, auribus tuis parcerem, ab hac omni
consideratione prohibitis. Quo multum mihi maior priore
stupor incidit; nam si id seni, ut aiunt, elementario dice-
retur, aequo animo pati possem. ‘Senuisti, iam vicina
est mors. Age res animae; intempestivum senibus ama-
rumque negotium litterarum, si novum atque insolitum
proponatur. Sin una senerint, nil dulciss. Seram hanc
igitur curam linque, sine Musas Heliconias fontemque Casta-
lium; multa puerum decuerant quae dedeceant senem.
Frustra niteris. Torpet ingenium, memoria labascit, oculi
caligant, omnesque corporei sensus hebent, novoque iam
fragiles sunt labori. Memento virium et metire quod adgre-
deris, ne irritis conatibus mors irrumpat. Fac potius quod
semper benefit, quodque, cum omni aetati sit honestum,
necessarium est extremae.’ Haec horumque similia inchoanti
seni quid ni graviter ac magnifice dicerentur? Docto autem
summumque iam habenti, cur dicantur nescio. ‘Ecce iam
morti proximus; linque saeculares curas, pelle reliquias volu-
ptatum, malas consuetudines, reforma animum ac mores. Vt
Deo placeas, novitatem et renascentia vitia, quae hactenus ab-
scindebas, radicitus nunc exstirpa, in primis avaritiae studium,
quod senibus, cur annexum peculiare sit, admiror. Hoc unum
stude et hoc cogita, ut paratus, ut securus ad extremum venias.’
Optime, inquam, prudenterque. Linquere litteras seu poeticas
seu quascumque alias, in quibus non iam tyro sis, sed emeritus
veteranus, in quibus, quid tenendum, quid respuendum tibi
sit, noveris, in quibus denique non iam labor sed oblectatio

vitae sit iucunditasque reposita, hoc certe quid sit aliud non video, nisi auferre solatium ac praesidum senectuti. . . .

[*What would have been the result if Lactantius, Augustine, and Jerome had followed such advice? The heretics would have been left unrefuted.*]

Non discurro per singulos, sed ad summam non intelligo quid his studiis, non dico senem imbui (nihil enim benefit quod non et tempore suo sit), sed a puero haustis uti sobrie vel in 100 senectute prohibeat, scientem dico quid ex his ad rerum notitiam, quid ad mores, quid ad eloquentiam, quid postremo ad religionis nostrae patrocinium trahi possit . . . [*Why should we shun the poets who never mention Christ rather than the heretical writers who only speak of Christ to calumniate him?*]

105 Non sumus aut exhortatione virtutis aut vicinae mortis obtentu a litteris deterrendi, quae si in bonam animam sint receptae, et virtutis excitant amorem, et aut tollunt metum mortis aut minuunt . . . Neque enim impediunt litterae sed adiuvant bene moratum possessorem vitaeque viam promovent, 110 non retardant . . . [*Examples from antiquity of men who have preserved their love of literature in old age.*]

Scio multos ad sanctitatem eximiam sine litteris pervenisse, nullum litteris hinc exclusum scio, etsi audiam Paulo Apostolo quaesitam litteris insaniam reprobrari, quam iuste autem 115 mundo notum. Quin potius, si de proprio loqui licet, ita sentio, planum forsitan sed ignavum iter per ignorantiam ad virtutem; unus est finis omnium bonorum, multiplices autem viae, eodemque tendentium multa varietas. Ille tardius, hic ocius; ille obscurius, hic clarior; ille depressius incedit, hic 120 altius. Quorum quidem omnium peregrinatio est beata, sed ea certe gloriosior, quae clarior, quae altior, unde fit ut litteratae devotioni comparabilis non sit, quamvis devota, rusticatas. Nec tu mihi tam sanctum aliquem ex illo grege litterarum inopem dabis, cui non ex hoc altero sanctiorem numero obii- 125 ciām.

De his autem cogente materia, quoniam saepe mihi necesse

fuit ut loquerer, te amplius hodie non morabor; qui si coepto haeres, ut studia haec quae pridem post tergum liquimus, litterasque omnes quantum in imis, ac distractis libris ipsa etiam velis instrumenta litterarum proicere, atque ita undi- 130 que persuasum tibi est, gratum, hercle, habeo me, librorum avidum ut tu ais (ego non infitior, ne si negem scriptis ipse meis arguar), in hac emptione omnibus tuo iudicio praelatum. Et quamvis ipse rem meam videar empturus, nolim tamen tanti viri libros huc illuc effundi, aut profanis ut fit manibus 135 contrectari. Sicut igitur nos, seiuncti licet corporibus, unum animo fuimus, si studiorum haec suppellex nostra post nos, si votum meum Deus adiuverit, ad aliquem nostri perpetuo memorem, pium ac devotum locum, simul indecerpta perveniat. Sic enim statui, ex quo ille obiit, quem studiorum 140 meorum speraveram successorem . . . [As to Boccaccio's complaints of poverty, P. praises him for preferring liberty to a dependent position, but rebukes him for despising the offers of friends.] Vale. Patavi, v. Kalendas Iunias [1362].

Benintendio. Var. 43.

OMNIS, ut arbitror, inter nos gratiarum actio deinceps supervacua est. Eo enim amicitiae progressi sumus, ut quod mihi facis tibi facias. Egisse te meis in rebus, quae sunt tuae, quod in propriis ageres scio, et fortassis eo amplius quo generosa mens ad amicitiae nomen altius expurgisci et stimulis 5 ardentioribus agi solet. De eventu viderit non fortuna, sed fortunae Dominus qui mihi hunc tibique illum dedit animum, ut et hoc ego velle inciperem, et tu pium hoc propositum adiuvares; quod si optato successerit, erit, ni fallor, tibi ac posteris tuaeque reipublicae, non audeo dicere gloriosum, sed 10 secure dixerim ad gloriā via. Multae enim, magnae et praeclarae res ex non maioribus initiis prodiere. Mihi equidem bonae voluntatis candida et illimis conscientia satis est, quae se utinam tempestivius obtulisset, dum scilicet anima illa sanctissima summae rerum praeverat, quae quantum hinc gavisura 15

fuerit ipse qui eam plane noras extima. Certe ego illam nunc de caelo gaudere super his quae inter nos aguntur, et rei exitum exspectare (quid loquor?), immo vero iam praesentem spectare non sum dubius non tam aequo sed laeto animo ferentem, quod 20 cum sibi omnes virtutis et gloriae titulos in caelum auferre contigerit, quantum nescio an ulli unquam Venetorum Ducum, bibliothecae decus publicae successori suo quarto, et viro et duci optimo atque fortissimo communisque status amantissimo reservatum sit; quamvis, ut mihi appetet, admiratione non 25 caret quod res talis altius quam illius tempore non inciderit....
[He does not wish Benintendo to take too much trouble in the matter.]
 Vale virum optime. Patavii, v. Kalendas Septembbris [1362].

Modio Parmensi. Var. 4.

AMICE, quibus oculis, quo animo litteras tuas dominaeque nostrae ac iuvenum dominorum legerim, ut sileam, nosti; quamvis infelicissimum rumorem diu ante fama narrante cognoscerem, quo audito inter singultus et lacrimas scripsi nescio 5 quid longiusculum, quod non misi veritus eorum taedia, qui cum nil degustent, omnia mortificant, et quae non capiunt, cupiunt ac rapiunt; bellatores Ligurum loquor, qui importuna cupidine litterarum saepe mihi, crebro itidem aliis, calamum excusserunt. Piget enim, nec immerito, illa scribere quae quo 10 velim non perveniant, et eo perveniant quo nolim. Illud equidem nunc usque mecum substituit hanc ob causam; atque hoc ipsum, quod nunc scribo, quando sim missurus nescio. Exspectabo idoneum latorem; malo differatur quam perdatur. Nil amplius de hac re, nam in aliis et olim ad te litteris, et 15 nunc ad communem dominam atque adolescentes nostros satis multa, et forsitan nimis multa scripsi. Delector enim materia lacrimarum, sic affectus ut malo meo paene mulcear, nunquamque mihi sit melius quam dum fleo, aestuantemque animum oculorum largifluus imber lenit. Sed ne rursus hoc impetu 20 rapiat ultra quam destinavi, omissis aliis, vale. Venetiis,
 xv. Kalendas Decembris [1362].

Franciscus.

Reliquum est ut rogem reculas illas meas vobis, frater carissime, curae esse, si vacat. Saltem *Vitam Solitariam*, quae si transcripta erit, ut spero, minietur ligeturque solemniter per Magistrum Benedictum, et mittatur ad me exemplum, et 25 exemplar diligenter panno cereo obvoluta inter ballas Iohannolo de Como; et quidquid opus fuerit ad haec solvet dominus Danisolus, et Franciscolus meus diriget vos in his, qui praedictos amicos meos bene novit. Vale, iterum, et pensate, oro, non importunitatem sed fiduciam meam. Post haec venit 30 Bergaminus et loquutus est tecum multa, quem e vestigio remittam. Scriptum hoc ix. Decembris. Aliud dominae meumque vulnus, fratris eius, qui et ipse dominus meus erat benignissimus, miserabilem casum non fui ausus in litteris eius attingere. Heu! satis absque illa nunc accessione gemituum 35 erat.

Iohanni de Certaldo. Sen. iii. 6.

VM nil serium quod scriberem adesset, et omnino aliquid scribere mens esset, quod memoriae proximum fuit arripui. Leo noster, vere Calaber, sed ut ipse vult Thessalus, quasi nobilior sit Graecum esse quam Italum, idem tamen ut apud nos Graecus sit, apud illos puto Italus, quo scilicet utrobique 5 peregrina nobilitetur origine; hinc Leo, inquam, undecumque magna bellua, me nolente, frustraque diu ac multum dissuadente, surdior scopulis, ad quos ibat, tuum post abitum hinc abiit. Nosti hominem et me nosti; an is tristior, an ego laetior, haud facile iudices. Itaque, veritus ne convictu assiduo for- 10 tassis inficerer (est enim animi aegritudo non minus contagiosa quam corporis) abire passus sum, ad quem tenendum alio quam precum vinculo opus esset, dato illi viae comite comicō Terentio, quo incredibiliter delectari eum animadverteram, saepe stupens quid commune habere posset Graius ille moestissimus cum hoc 15 Afro iucundissimo. Sic e contra nulla tanta similitudo quae non aliquid dissimulet.

Abiit ergo sub aestatis exitum multa me coram saepe in Italianam Latinumque nomen acerrime invectus. Vix illum 20 pervenisse dices, dum ex insperato barba et crinibus suis horridior maiorque ad me rediit epistola, ubi inter multa ceu terram caelestem, damnatam modo, laudat atque amat Italianam dilectamque Graeciam odit, laudatumque Byzantium execratur. Et ut se iubeam ad me venire, tanta rogit instantia, 25 quanta vix Petrus naufragans imperantem fluctibus Christum orat. Ego rideo mirorque hanc iudiciorum tantam vertiginem tam brevi temporis spatio, immo ne id quidem miror, scio enim animo, qui radices in sapientia et virtute non egerit, nihil esse mobilius . . . [Seneca quoted on this subject. Further letters 30 are worse than useless to an inconstant mind.]

Non leo Marmaricus dum febrit caveis lustrandis ardenter crebriorque quam hic noster provinciis peragrandis, et, ut auguror, nisi rationis officium pauperies occupasset, non leo esset ille, sed volucris. Gaudeo hercle verbis incredulum, rebus 35 admonitum et saxeum illud caput experientia emolitum. Ceterum neque constantiae suae fido neque vel naturam vel aetatem, etsi ipse aliud spondeat, mutandis moribus aptam reor. Vnum praeterea, quod ridebis, precibus inserit, ut pro eo scilicet apud Constantinopolitanum imperatorem litteris intercedam, cuius mihi nec visa facies nec auditum nomen; Leo tamen me sic illi ut Romano imperatori notum ac familiarem, quia cupid, etiam opinatur, quasi qui in imperii titulo conveniunt, unum sint, prope suo iure id quidem; Graeci enim Constantinopolim alteram Romam vocant; quam non parem 45 modo antiquae, sed maiorem corporibus ac divitiis effectam, dicere ausi sunt. Quod si in utroque verum esset, sicut in utroque, Sozomeni hoc scribentis pace dixerim, falsum est, certe viris, armis, at virtutibus et gloria parem dicere, quamvis impudens, Graeculus non audebit.

50 Postremo autem ne amici volatilis tam verbosa mentio frustra sit, redit hic in animum te precari, ut Homericae partem illam Odysseae, qua Vlysses it ad Inferos, et locorum quae in vestibulo

Erebi sunt descriptionem ab Homero factam, ab hoc autem, de quo agimus, tuo hortatu in Latinum versam, mihi quamprimum potes admodum egenti, utcumque tuis digitis exaratum, mittas. Hoc in praesens In futurum autem, si me amas, vide, obsecro, an tuo studio mea impensa fieri possit, ut Homerus integer bibliothecae huic, ubi pridem Graecus habitat, tandem Latinus accedat; nec sum nescius, quanta tuarum mole rerum praegravatis humeris quid imponam, sui appetens, fidens tui. Vale. Venetiis, Kalendis Martiis [1364].

Petro Bononiensi Rhetori. Sen. iv. 3.

ESTSI praesens animo, corpore proximus, paene auribus strepitum plausumque, paene oculis fumum pulveremque haurias ludorum, et si quid notitiae defuerit, nocte dieque commeantium viva vox suppleat, credo tamen te cupide meis litteris percepturum, quae cupidius spectaturus fueris, nisi 5 hanc tibi pulcherrimam voluptatem morbus corporis invidisset. Nam quod, oro te, pulchrius, sive quod iustius spectaculum fingi potest, quam iustissimam civitatem, non de vicinorum iniuriis, non de simultatibus civium aut rapinis, ut reliquas, sed de sola iustitia gaudentem cernere? Augustissima Vene- 10 torum urbs quae una hodie libertatis ac pacis et iustitiae domus est, unum bonorum refugium, unus portus, quem bene vivere cupientium tyrannicis undique ac bellicis tempestatibus quassae rates petant, urbs auri dives sed ditior famae, potens opibus sed virtute potentior, solidis fundata marmoribus, sed solidiore 15 etiam fundamento civilis concordiae stabilita, salsis cincta fluctibus, sed salsioribus tuta consiliis. Non credas de recepta Cretae insula, quae vetustate nominis ingens licet, tamen ingentibus animis parva res est, et parva praeter virtutem omnia quamvis maxima videantur, sed de eventu, qualem esse 20 decuit, hoc est, non de sua sed de iustitiae Victoria glorietur ac gaudeat. Nam quid magnum viris fortibus ac potentibus, et hoc duce atque iis terra marique militiae magistris, viciisse

inermes Graeculos et nequitiam fugitivam? Magnum est,
 25 quod nostra etiam nunc aetate tam cito fortitudini ~~fraud~~ cedit
 et virtutibus ~~vitia~~ succumbunt quodque nunc etiam Deus
 curat atque aspicit res humanas . . . [On Providence in human
 affairs.]

Longum neque occupati atque humilis stili est totam ~~sacrae~~
 30 seriem laetitiae verbis amplecti. Rerum summam accipe.

Cum a. d. II. Non. Iunii anni huius MCCCLXIIII hora ferme
 diei sexta forte ad fenestram starem, maria alta prospectans,
 essetque una frater olim meus, nunc pater amantissimus,
 Patracensis Archiepiscopus, qui autumni principio ad sedem
 35 propriam transiturus, propter immotam fortunae favoribus
 caritatem, hic in domo sua, quae mea dicitur, hanc agit
 aestatem, subito longarum una navium, quas galeas vocant,
 ramis circumfulta frondentibus, portus ostia remis subit,
 inopino prospectu nostrum colloquium interrumpens. Ilicet
 40 augurium coepimus laeti aliquid rumoris illam vehere; sic
 tonsis vada frangebant velis nautae alacres et frondibus coronati
 iuvenes, laeto vultu, vexillisque super verticem agitatis e prora
 ipsa ~~victricem~~, sed adhuc ignaram rei, patriam salutabant. Iam
 peregrinae navis adventum, signo dato, summae turris excu-
 45 bitor nuntiarat, itaque nullius imperio, sed noscendi desiderio,
 ad litus e tota urbe concursum erat. Cum vero iam propior
 facta et subiecta oculis res esset, advertimus signa hostium de
 puppe pendentia, nihilque iam dubii supererat quin ~~victoriae~~
 nuntia navis esset. Necdum tamen bellum, sed proelii cuiuspiam
 50 aut captae urbis alicuius victoriam sperabamus, neque quod
 erat capiebant animi. At ubi in terram egressi nuntii verba in
 Consilio fecere, supra spem supraque fidem laeta omnia; ~~victi~~
 enim, caesi, capti et fugati hostes, cives vinculis eruti, urbes ad
 obsequium reversae, reimpositum Cretae jugum; posita arma
 55 ~~victoria~~, pactum denique ~~sine caede~~ bellum et pax parta
 cum gloria. Quibus cognitis Dux Laurentius vere Celsus, vir,
 nisi me forsitan amor fallit, et magnitudine animi et suavitate
 morum, superque omnia singulari pietate atque amore patriae

memorandus, sciens nil rite nilque feliciter fieri, nisi sumptum fuerit a religione principium, in laudes Dei et gratiarum 60 actiones toto cum populo se convertit, perque urbem omnem, sed conspectius in basilica beati Marci Evangelistae, qua nulla ut reor usquam pulchrior factum est, quantum fieri per hominem Deo potest, sacris celeberrimis et processione insigni ante et circa templum habita, ubi non solum populus clerusque 65 omnis affuit, sed praelati etiam externi, quos hic vel casus aliquis, vel videndi amor, vel vulgata devotio detinebat.

Peractis eximie quae ad rem divinam pertinebant, in ludos ac spectacula versi omnes. Operosum fuerit enumerare, quot ludorum species, quae formae, qui sumptus, quae solemnitas, 70 quis ordo, ut quod in re tali rarum valde et mirabile, nullus usquam tumultus, nulla confusio, nullus rancor, sed omnia plena laetitiae, plena gratiae, plena concordiae atque amoris; et, si magnificentia regnum suum tenuit, ne inde modestia ac sobrietas exularent, sed in sua illam urbe, et in sua festivitate 75 regnante regerent frenarentque. Multos quidem festos dies vario apparatu celebritas haec deduxit, duobus tandem tota res ludis clauditur ... [*He describes the jousts held in St. Mark's Square.*] Nullus sexus, nulla aetas, nullus status defuit. Iam Dux ipse cum immenso procerum comitatu frontem templi 80 supra vestibulum occupaverat, unde marmoreo e suggestu essent cuncta sub pedibus. Locus est ubi quattuor illi aenei et aurati equi stant, antiqui operis et paeclari, quisquis ille fuit artifex, ex alto paene vivis adimentes [*sic*] ac pedibus obstrepentes. Neve aestivus sol, pronus ad vesperam, aut calore offenderet 85 aut fulgore, diversicoloris auleis usquequaque pendentibus pro visum erat. Illic ego rogatus, quae crebra dignatio Ducis est, ad dexteram eius sedi, verum bidui spectaculo contentus, de reliquo occupationem nulli incognitam excusavi. Infra vero nihil vacui, non, ut aiunt, milii granum in terram cadere 90 potuisset, platea ingens, templum ipsum, turres, tecta, porticus, fenestrae, non tantum plena sed conferta omnia et condensa. Inextimabilis atque incredibilis populi multitudo terrae faciem

tegebat, et subiecta oculis urbis florentissimae numerosa simul
 95 ac culta fecunditas festi laetitiam geminabat, ut nihil penitus
 plebi esset tanta iucunditate sui ipsius aspectu et contem-
 platione iucundius. Erat ad dexteram ingentis in morem
 pulpiti contextum trabibus solarium, ob idipsum tumultuario
 opere erectum, ubi ex omni flore ^{an} nobilitatis honestissimae
 100 electae quadringentae matronae insignes, specie atque ornatu
 spectabiles meridianum et quotidianis quoque conviviis matu-
 tinum ac serotinum ornamentum consessu sidereo praebuere.
 Intervenere praeterea, quod deberi silentio tegi negat, in has
 terras casu nuper advecti e Britanniae partibus ^{nobis} nobilissimi
 105 quidam viri, comitesque et consanguinei Regis sui, quos recenti
victoria exultantes peregrinatio huc transmarina contraxerat,
 qui que sese interim labori aequoreo vegetabant. Hunc mul-
 torum dierum equestris illa decursio finem habuit cuius prae-
 110 mium solus honos fuit . . . [He describes the prizes and the
victors.]

Hic ludis, sed non gaudiis prosperisque successibus, hic et
 epistolae finis sit, qua id nitor, ut quod morbus eripuit, oculis
 tuis auribusque restituam, et ut noris ex ordine, quid apud nos
 geritur, utque intelligas inter maritimos etiam viros constare
 115 militiam et magnificentiam et excelsos animos contemptumque
 auri gloriae appetitum. Vale. Venetiis, IIII. Idus Augusti[1364].

Petro Bononiensi. Sen. iv. 4.

(humoristica).

VENIT ad me videndum socrus tua, venerabilis matrona,
 cui si nil aliud suffragaretur, quam quod filiam te dignam
 genuit, abunde erat, ut non solum admittenda sed amplectenda
 animo et colenda esset, ac dignis honoribus prosequenda. Quid
 5 te longius traham? Famulos meos seu domesticos hostes
 nosti, quamquam quid meos infamaverim, qui optimi omnium
 dici volunt, et fortasse famulorum optimi, sed profecto pessimi
 hominum sunt; ita ut cum quidam mihi illos invideant, ego
 eos quasi intestinum malum et visceribus infusum virus ex-

horream. Famulos igitur nosti omnes; nullis descriptionibus 10
opus est; professi servitium imperium exercent, immo tyran-
nidem importunam atque indignam; mitto alia, non epistolae
sed annalium materiam. Centies, non dicam iussi, sed oravi,
ut si quis ad me veniat, dum divino deditus officio sum, nisi
vel persona admodum insignis, vel aliquid magnae rei sit, 15
exspectare iubeant; sed dum studio intentus, neque passim
omnes accipiant neque excludant, sed discretione si qua esset
uti velint hominum et causarum. At dum mensae aut lectulo
partem dedi, confestim introeat quisquis sit, nam et utriusque
breviandi causas afferri cupio, et utrumque repetere post 20
colloquium licet. In iis sane ut in reliquis omnibus eius, quod
me velle norunt, contrarium faciunt, seu haec illorum perfidia,
seu mea sors est, seu iisdem forte, quibus se sciunt, me quoque
victum passionibus iisdem subditumque rebus putant, somno
scilicet ac ventri, quamvis hanc suspicionem nec sermo meus 25
nec, ut reor, vita recipiat.

Sed ad hodiernae seriem revertor historiae. Erat hora diei
sexta, et ego aestivo de more in cubiculum concesseram, quod
nocte defuerat, a meridie exacturus. Haec ab illo primo
nostri generis, non tam familiae suae utili, quam famoso parente, 30
nobis superant fames, sitis, lassitudo et somnus, sive hic brevis,
sive ille perpetuus sopor mors. Vixdum ergo, ut perhibent,
hanc quotidianam mortis imaginem somnum oculis carpere
orsus sum, dum hanc illa tuam quam inhabito domum adiit
me videndi avida, quem nec vidi hactenus, et non visum 35
amat. Responderunt ii custodes mei egregii consopitum me
neque, mendacissimum genus, hoc mentiti sunt, sed nec
letheus ille nec irreparabilis somnus erat. Quid faceret fessa
mulier ac grandaeva, utrumque enim auguror, et quod diffi-
cilius festinantibus pulsa comitibus, et magna in urbe semper 40
plena populo, nunc advenarum turbis penitus exundanti, quas
hic dies atque utinam non spectaculi videndaeque pulcher-
rimae urbis desiderium, sed indulgentiae annuae pia spes et
cum Christo ad caelum mentibus ascendendi cura compulerit?

*60 apud
perinde
10:15)*

45 Abiit ergo fortunam suam accusans, quod me cernere nequievisset. Ego autem experrectus, quid egerim, quid remedii coeperim, quid putas, nisi ut tacitus indignarer; nempe, ut aiunt, assueta non cruciant, immo quidem cruciant, sed parcios; callum habet consuetudo, durum certe, non impervium dolori. Dolui et quaeri illam facere mens fuit, sed facilius Adriae in aestu pisciculum quam hominem unum Adriatica in urbe reperias hac praeſertim die. Haec illi, precor, meis verbis dicio, ne apud eam forte vel comites, quod servilis nequitiae fuit, mihi superbiae tribuatur; et vale. Venetiis, in die 55 Ascensionis ad vesperam. [1364 or 1365.]

Iohanni de Certaldo. Sen. v. I.
(videlicet; videlicet...).

FECISTI optime, qui quando oculis vel nolebas vel non poteras, saltem me litteris visitasti. Audito nempe quod Alpes transcenderas Babylonem visurus occiduam, eo peiorem communis quo vicinior est, suspensus ad eventum rei manseram usque dum te reducem audirem, et difficultatum viae crebris olim gnarus ex cursibus, et corporis atque animi gravitatem tui cogitans, otio amicam studioso, talibus autem curis et negotiis sic adversam, ut ex illo secura mihi nulla dies, nulla nox fluxerit. Gratias Deo qui te sospitem revexit. Quanto enim graviore pelagi periculo rediisti, tanto dulcior est redditus gratiorque. Sane nisi admodum properares, haud difficile fuerat, cum Ianuam pervenisses, huc deflectere; non nisi bidui iter erat; vidisses me, quem vides semper ubicunque terrarum sis.

15 Vidisses et, quam ut arbitror non vidisti, Ticini ripae amnis impositam Ticini urbem; Papiam iuniores vocant, quasi admirabilem, ut Grammaticis placet, et famosam diu Longobardorum regiam . . . [He describes some of the historical associations of Pavia.] Vidisses urbem saluberrimi aeris. Ecce iam 20 tres hic aestates egi, ita nusquam quod meminerim tam crebris et tam largis imbris, tam parvis rarisque tonitruis, tam nullis

paene aestibus, tam perpetuis tamque suavibus auris, alibi unquam tempus hoc egerim. Vidisses pulcherrimi urbem situs Cisalpinae Galliae. Magnam partem Ligures tenent, gens et olim potens et nostra aetate potentissima; horum haec in 25 medio est, et modice extanti, imperioso quodam sedens loco, ripaeque leniter pendentis in margine, densis turribus assurgit in nubila, prospectu undique expedito et libero, sic ut nesciam an ulli urbium in plano sedentium apertior sit, atque iucundior. Nullo ferme flexu oris hic vinosa iuga Alpium, hic frondentes 30 Apennini colles, in oculis sunt. Ticinus ipse laetis flexibus descendens, et misceri Pado properans ima moenia lambendo praelabitur, suoque impetu, sicut scriptum est, laetificat civitatem, ripis saxeo praeclari operis ponte coniunctis, amnis omnium lucidissimus, ut et fama loquitur et res probat, mirum 35 quoque celer in modum, quamvis huc quasi iam cursu fessus perveniat, et famosioris aquae vicinitate cunctantior, et adventitiis rivis nativi aliquid nitoris amiserit. Ad summam Sorgiae nostro Transalpino simillimus, nisi quod hic maior, ille autem et aestate vicinitate fontis algentior et hieme tepe- 40 tior fluit.

Vidisses praeterea ex his unam, in quibus tu multus et ego vel nimius sum, aeneam scilicet atque inauratam statuam equestrem fori medio, quasi cursu concito, clivi summa carpentem, tuis olim ut fama est ereptam Ravennatibus. Quam 45 eius artis picturaeque doctissimi nulli asserunt secundam. Quodque ultimum facit non rerum ordo, sed temporum, palatium ingens urbis in vertice yidisses, structurae mirabilis atque impensae, quod magnanimus Galeaz Vicecomes, hic minor, Mediolani atque huius et multarum in circuitu regnator 50 urbium, erexit, vir in multis alias, in aedificandi magnificentia sese vincens. Credo, nisi me amor fallit auctoris, quo iudicio rerum es, cuncta inter modernorum opera hoc augustissimum iudicasses, et praeter amici conspectum, quem tibi non spero quidem esse gratissimum, sed scio, multa te, ut arbitror, non 55 profecto levium, ut ait Maro, sed utique gravium ac grandium

admiranda spectacula delectassent. Me enim fateor delectant
detinentque, nisi quod alio suae animum trahunt curae. Itaque
iam hinc abeo, haud invitus tamen, iterum hic menses aestivos,
60 siqui mihi fato aestivi menses supererunt, acturus.

Quando autem ita res tulit, ut te ab amplexu meo vel labor
viriumque, quod ipse testaris, diffidentia, vel tempus angustum
reditumque tuum exspectantis patriae iussus arceret, vellem
Guidonem saltem meum, Ianuensem Archiepiscopum, et in illo
65 pariter me yidisses, qui summa concordia voluntatum rerumque
omnium ab infantia secum vixi. Vidisses, mihi crede, hominem,
corpo licet invalidum, animo sic valentem ut vivacius nil
vidisse te dices, inque fragili et caduca domo magnum ho-
spitem habitare posse fatereris. Quid multis agam? Vidisses
70 quem quaerimus, virum bonum, nulla ni fallor crebrum, sed
nulla aetate bonum rarius quam nostra, quem tibi non yisum
doleo; neque tam tuae quam amici communis negligentiae
vel oblivioni imputo, qui te pati non debuit generosas illas
caulas gregis egregii, insalutato pastore, praeterire.

75 Vt querelam vero gratulatione concludam, gaudeo hercle
quod apud ipsam Babylonem, quos mihi reliquos mors fecit,
videris illum ante alios vere patrem, ut dicis, meum Philippum,
Hierosolimitanum Patriarcham, virum ut brevi eum circum-
locutione describam, et titulo parem suo nec Romano imparem,
80 si quando forte dignus meritis honor accesserit. Hic, ut scribis,
post longos amplexus, quibus te hactenus sibi ignotum ceu
alterum me in conspectu summi Pontificis ac mirantium
Cardinalium veri amoris ulnis astrinxerat, post pia oscula, post
grata colloquia et de statu meo sollicitas quaestiones ultimum
85 oravit ut librum *Vitae Solitariae*, olim dum Cavallicensis
ecclesiae praesul esset, in rure suo scriptum et ei inscriptum,
aliuando sibi mitterem. Iusta quidem petitio sua est, ex quo
opusculum illud absolvvi, sed videntem omnia Deum testor,
decies vel eo amplius retentavi ita scriptum mittere, ut, etsi
90 stilus neque aures neque animum, littera saltem oculos
oblectaret. Verum studio meo votoque obstitit illa, de qua

totiens queror, nota tibi scriptorum fides, industria, nobilibus non ultima pestis ingeniis. Vix credibilia loqui dicar, paucissimis mensibus scriptum opus tam multis annis non potuisse rescribi, ut scias quae maiorum poena operum, desperatio 95 quanta est. Nunc tandem post tot cassa primordia scribendum illum domo abiens dimisi inter cuiusdam sacerdotis manus, quae an ad scribendum sacrae fuerint, ut sacerdotis, an ad fallendum faciles ut scriptoris, nescio. Nuntiatum tamen est mihi amicorum litteris iam factum esse, quod iusseram; de 100 qualitate, donec videam, mos horum certissimus me dubium facit. Solent enim, auditu mirum, non quod scribendum acceperint, sed nescio quid aliud scriptitare, tantum vel ignorantiae est, vel inertiae, vel contemptus. Hoc igitur quod in horas exspecto, qualecumque erit, illic vestigio transmittam. 105 Scriptorem quam me potius incuset.

Tibi autem epistolam cum hac mitto ad te anno altero dictatam, quam in tuis his novissimis litteris ceu desperans dulci acriter querimonia flagitasti, simulque alteram anni huius, quam non poscis, adiicio, in qua siquid illi litigio antiquo, quod 110 mihi olim quattuor invectivas adversus haec monstrata hominum extorsit, se curare iactantium vereque mactantium, defuisse videbitur ad impletum dices, ut intelligas quam me non sententiae paeniteat. Et has quidem ambas aliena, quod nunquam ante tempus tecum feceram, scriptas manu accipiens, 115 cogitabis vel lassitudo vel occupatio quanta sit, quae insolito more me tecum, immo mecum ut sic dixerim, per interpretem loqui cogit.

Et haec hactenus. Quod mihi de Homero manu tua scriptum miseras, antequam Venetiis proficiscerer, suscepit, ut fide atque 120 indulgentia tua laetus, sic supervacuo maestior labore, quem tibi impositurus non fueram, si scivissem quod nunc scio. Non enim nosse optabam quid apud Graios Inferos ageretur; apud Latinos nosse quid agitur satis est, idque vel lectione vel auditu solo, utinam nec visu unquam contigerit. Sed volebam 125 scire qualiter Homerus, ipse Graius homo vel Asiaticus, et quod

miraculum auget, caecus quoque, solitudines Italas descripsisset,
 vel Aeoliam scilicet vel Avernum lacum montemque Circeum ;
 sed quoniam tibi placuit ut mihi postea totum opus illud
 130 eximium destinares, ibi forsitan inveniam quod quaero. Spem
 tamen hanc minuit quod scribis, misisse te *Iliadem* totam,
Odysseae autem partem. In eo quidem libro est quod scire
 velim. Miror sane quid ita illam totam, huius partem miseris,
 sed fortasse integrum non habebas ; quidquid erit, video dum
 135 me domum mea sors revexerit, transcribique faciam et remittam
 tibi, quem tanta re privasse pati nolim. Iterum tibi gratias
 ago Donatoque nostro subirascor, qui cum saepe de minoribus
 scriberet, tam hoc factum male siluit, quod animo meo sciret
 et missi et mittentis consideratione gratissimum. Vale. Ticini,
 140 xix. Kalendas Ianuarii [1365].

Iohanni de Certaldo. Sen. vi. i.

TRES ingentes epistolas, quas anno altero simul ad te
 venturas, etsi non simul editas, Ticino abiens dimisi, diu
 licet, unde non decuit impeditas, tandem pervenisse confido.
 Quibus quidem exhausisse tunc animum visus eram, novi itaque
 5 nihil est, nisi quod cum profunda nocte Venetias attigissem,
 primo mane Donatus noster ad me solus. Illic multa, ut inter
 amicos, desiderio colloquendi per absentiam irritato, sed pars
 maior ut merito de te fuit, simulque de Homero quem misisse
 te scripseras, de quo istic quid sic actum quaere ; huc enim non
 10 venisse illum scito, unde me in aliis ad te litteris de Donato
 immerito questum queror.

Sed Homeri mentio me illius admonet, quo hic medio in
 Latinum venit. O male igitur, o pessime actum de Leone
 dicam nostro ! Cogit enim pietas atque ingens miseratio sine
 stomacho iam de illo loqui, de quo pridem multa cum stomacho.
 15 Mutatus est animus semper meus, cum illius hominis fortuna,
 quae cum misera fuerit, nunc horrenda est. Infelix homo
 qualiscumque quidem nos amabat, et si talis esset, qui nec alios,

nec se ipsum amare didicisset, sinistris alitibus in hunc mundum ingressus, sinistioribus abiit, ubi nullum puto serenum diem 20 vedit. Quem memoria repetens saepe admiror, quomodo in tam tristem fuscumque animam Pierii spiritus ac coelestis musicae vel tenuis descendisset olfactus. Orabat miser multis precibus ut pro se mitterem, fassus errorem, quae res maxime iratos animos placat. Ego vero et instabilitatem mihi notissimam, et aetatem intractabilem, mutandisque iam moribus duriores veritus, et consilio insuper tuo fretus, quo fidenter in re qualibet uti velim, ut quod rite consulentium utraque fax illustrat, ingenium et fides, spretis precibus responsum litteris nullum dedi. Coepit illum tandem familiaritatis nostrae 30 desiderium ardentius, et male sibi cognitae pudor Italiae; moribusque fisus nostris, cogitansque quod verum erat, etsi vocari esset indignus, si tamen ultro venisset, minime quidem se nostris arcendum liminibus, proxima aestate Aeolo ac Neptuno totoque Phorci exercitu adversante Byzantio funem 35 solvit.

O quid dicam! Miserabilem terrificamque rem audies. Iamque Bosphorum atque Propontidem, iamque Hellespontum, Aegaeumque et Ionum, maria Graeca, transiverat, iam Italicae telluris, ut auguror, aspectu laetus, dicerem, ni natura respueret, 40 at equidem minus maestus, Adriacum sulcabat aequor, dum repente mutata coeli facie pelagique saeva tempestas exoritur, ceterisque ad sua munera effusis, Leo miser malo affixus inhaeserat, malo, inquam, vere, malorumque ultimo, quod per omne aevum multa perpresso dura in finem fortuna servaverat. 45 Horret calamus infelcis amici casum promere. Ad summam inter multas et horrisonas coeli minas iratus Iuppiter telum torsit, quo disiectae antennae, incensaque carbasa in favillas abiere et lambentibus malis flammis aetheriis, cunctis stratis et territis, solus ille noster periit. Hic Leonis finis. 50

O res hominum improvisae, o mors clarior sonantiorque quam vellem! Non putabam Capaneo, Argivo duci, nec Tullo Hostilio aut Caro, regi illi, huic principi, Leonis ascribendum

nomen, viri humilis nec indocti, sed nec fortunati unquam
 55 prospere, nec iucundi. Semper certe nunc intelligo, ut multa
 post factum intelligemus, semper inquam, nubes illa maestique
 oris obscuritas nuntiabat hoc fulmen. Supellex horridula et
 squalentes libelli, hinc nautarum fide, hinc propria tuti inopia,
 evasere. Inquiri faciam an sit in eis Euripides Sophoclesque
 60 et alii, quos mihi quaesiturum se spoponderat. Truncus informis
 ac semiustus in mare iactatus est. Quem alia ad te epistola
 Graecis escam vermibus destinaram, heu, Italis cibus est
 piscibus. Tu vive felix et vale nostri memor. Venetiis, VIII.
 Kalendas Februarii [1367].

Vrbano V. Pontifici Maximo. Sen. vii. I.

ALIQVAMDIV, pater beatissime, an aliquid tibi seu quid
 scriberem dubius fui; hinc vulgari fama, hinc litteris
 amicorum de te multa et praeclara narrantium excitabar; illius
 ante alios, qui de tam multis mihi paene unicum solatum
 5 remansit, diu oculis eruptum, animo praesens semper, Philippi,
 Patriarchae Hierosolymitani, qui, ne veterum studiosum nova
 sineret ignorare, simulque ut scribendi materiam gloriosam
 atque uberem stilo offerret, saepe per hoc tempus de rebus
 tuis mirisque in modum laudibus tuorum deque Apostolici pro-
 10 positi sanctitate gravissimas ad me nec minus ferventissimas
 scripsit epistolas. Quibus, fateor, iam defessum tepentemque
 animum vehementer accenderat. Aderat hortatrix alia, vetus
 scilicet et praecripta iam consuetudo mea scribendi non
 tantum pari fiducia parvis ac magnis, sed eo semper alacrius
 15 quo maioribus sim scripturus, a quibus et beneficiorum
 ampliorem gratiam et errorum promptiorem veniam sperem
 . . . [Error committed in good faith can never deserve punishment.]
 Haec me opinio et haec spes impulit, ut praedecessoribus tuis
 duobus ante proximum RR.PP., quin et Romano Imperatori
 20 ac principibus et regibus terrae saepe etiam ignotis scriberem;
 nec sum veritus ne parvitatem meam illorum oppimeret

magnitudo; non enim me maioribus conferebam neque aequabam verbis, quos natura, parens aut fortuna tanto se creverat intervallo; sed ad obsequium veritatis uti spiritu libertatis non licitum modo sed debitum arbitrabar . . . [If he 25 wrote to Popes when a young man, still less should he fear to write in his old age. He has been silent so far partly to avoid the charge of being a flatterer.]

Observator sum, fateor, magnus illustrium, quorum ex actibus atque exemplis pendere rem publicam existimo; te 30 igitur observabam, et qui a minimis tam laudabiliter incoepisses, quis esses in maximis exspectabam. Audiebam te praelatos ecclesiarum, qui Romanam curiam frequentabant, ad sedes proprias remisisse. Optime, inquam, ac magnifice . . . [He congratulates the Pope for checking the multiplication of 35 benefices.] Audiebam circa habituum honestatem multam te curam multumque studium impendere. Laudabam. Nam quis oculus pati potest haec ludibria, quae nostra aetas infelix sibi finxit, dum formosa vult videri, manibus se deformans suis, ac turpissime dehonestans? Quem stomachum monstra 40 haec conspecta non quatiant, cornuti calcei, pennati vertices, caudata caesaries et in tricam torta, frontes virorum muliebriter discriminatory eburneo sulcatae, lasciviosa vestis verecundiae inimica, ventres astricti fidiculis et afflicti, pro vanitate patientibus miseris quod beati olim pro veritate passi sunt? . . . [Would 45 that these new fashions had been abolished in Italy too.] Audiebam praeterea singularem illam tuam curam paternamque sollicitudinem circa Bononiense Studium, quanta nulli unquam pontificum fuisset aut principum, quibus quantisque privilegiis, qua magnificentia, qua pietate illud longis ac iugibus bellorum 50 turbibus quassatum stratumque erigis, et antiquam illi non modo restitus sed si quae fors faverit, amplificas etiam dignitatem . . . [This has given us hope that you have not forgotten Italy.] Audiebam denique te licentiam pestilentem salubri falce rigoris aequissimi praecidisse, illam dico quae scelestes 55 homines gravissimis facinoribus perpetratis ad Cardinalium

domos fugere solitos, legum nodis ac digno suppicio eximebat
 . . . [He still kept silent, lest he should be judged to have formed
 a hasty conclusion.]

- 60 Sunt quos natura aut fortuna, seu, quod est verius, Deus ipse, naturae fortunaeque dominus, ad summa rerum creando dispositus. Inter quos duo sunt omnium supremi, Romanus Pontifex et Romanus Imperator. Et illi quidem ego, ab initio prorsus incognitus, postmodum vero familiarissimus effectus,
 65 dixi saepe et scripsi, quod eum pro virili parte contingere visum fuit. Ipse mihi est testis, quibus a me stimulis, quotiens sit excitus, erectus, impulsus, increpitus . . . [A single voice has often moved men's minds. The Emperor always received his advice with the greatest kindness.]
- 70 Et haec quidem ego hactenus cum illo, Romanae urbis Romanique orbis altero lumine; tecum nihil adhuc, metuens, ut dixi, laudare in parvis, quamvis laude dignis, quem mox in maximis non laudarem. In quibus, si te rite ageres, tunc fateor, et parva simul et magna celebrare decreveram, totumque
 75 hoc, quantulumcunque est, ingenium, et hunc stilum et has vitae reliquias dedicare tuis laudibus, nec virtutem tuam illaudatam pati, cum tot laudatores prisca virtus invenerit, etsi enim tantae rei imparem esse me nescius non essem. Saepe tamen parvis excursionibus ingentia proelia, saepe magnas
 80 parvis principiis res effectas audieram legeramque. Nec me duce in tuum quoque praetorium excitari posse magna quae-dam ingenia diffidebam; et iuvabat in hac acie, licet meritis ultimum, primum numero esse. Haec cogitans toto te triennio exspectavi . . . [The fact that, in spite of hopes that have been
 85 raised, the Pope is still at Avignon, has at length induced him to write.]

Cuncta quidem apud Avignonem prospere, magno cuncta consilio geruntur. Dixi iam, laudo, sic te decet, ut ubicunque fueris, bene ac feliciter universa succedant, et praesentiam
 90 tuam virtus ac prosperitas comitentur. Sed dic, oro, quid agit interim sponsa tua? Quo consule regitur? Quo duce de-

fenditur? Quibus comitibus consolatur? Respondebis immo non tu quidem, qui interrogationem meam, non dubito, placatus atque aequanimus accipis; sed aliquis unus minor et impatientior respondebit: ‘Tu Romano Pontifici legem ponis, 95 aut unam illi sponsam tribuis, cui sponsa est non ea sola quam intelligis, sed universalis Ecclesia? Vbicunque ille sibi moram elit, illic sponsa, illic sedes propria sua est.’ Non infitior, pater beatissime, neque angusto tibi sedem tuam, quam libenter extenderem, si in me esset, oceanique litoribus undique ter- 100 minarem. Vtinamque tam late hodie coleretur Christi nomen quam late olim cultum fuisse, multis quidem, sed in primis hinc Ambrosio, hinc Augustino teste, cognovimus, qui iisdem paene verbis latiores Christianae religionis quam Romani Imperii fines locant; quod si ut sonat nec devote magis quam 105 historice dictum credimus, mutationem rerum maximam ac flebilem quis non videt? . . . [*Wherever Christ is worshipped there is your seat.*] Illud mihi non negetur, quod inter omnes alias singulare tecum aliquid, immo quamplurimum, habeat urbs Roma. Ceterae enim omnes suos habent sponsos, tibi 110 quidem uni subditos sed suis ecclesiis praesidentes; illa vero nullum habet nisi te. Itaque summus in reliquis, in Romana urbe solus es Pontifex, solus sponsus. De illa tua igitur nec alterius sponsa nexu coniugii spiritalis te interrogo, quid nunc agit? Quo in statu est? Quave in spe? Si tu taces, ipse mihi 115 respondebo. Aegra, inops, vidua, miserabilis, sola est, et vestem viduitatis induita, diebus ac noctibus flens, propheticum illud canit: ‘Quomodo sedet sola civitas plena populo! Facta est quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta est sub tributo.’ Totumque per ordinem a principio in 120 finem flebile illud carmen ingeminat, illic vero maestius fracta voce singultibus fessa subsistit, ubi scriptum est: ‘Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius, omnes amici eius spreverunt eam et facti sunt ei inimici’ . . . [*If the Pope is not moved by the glory he would win by returning to Rome, let him remember that Christ established his Church at Rome and not* 125

*on the Rhone. The Pope has been elected by God for this very purpose, or does he think that the ambitious Cardinals would of their own accord have elected a lowly abbot? Those who have
130 opposed the return to Rome have been influenced by unjust hatred and ignorance of Italy.]*

Hoc loco aliqua mihi ad memoriam redeunt, parva quidem in se, sed ad probandum quod loquor non inefficacia. Cum enim Benedicto XII. Vulsinii lacus anguillae mirae magnitudinis et saporis insolitae missae essent, et ipse admirans eas inter Cardinales dividi iussisset, exigua sibi parte servata, non multis post diebus, dum ad eum ex more convenissent, earumdem mentio orta ut erat, iocosus in sermone ‘si praegustassem’ inquit ‘scivissemque quales erant, non fuisse tam largus 140 distributor; sed nunquam credidi tale aliquid nasci posse in Italia’. Quo dicto Ioannes de Columna, Cardinalis semper mihi reverenti suspirio memorandus, sub quo illis in locis adolescentiam totam egi, vultu motus atque animo (erat enim colore nobilis et qui nihil vel visu faetidum vel auditu absonum 145 pati posset) subito sic exarsit, ut diceret, mirari se quid ita vir doctus, qui tam multa legisset, excellentem cunctis in rebus Italianam ignoraret . . . [Such men would be ashamed of their ignorance if they had been in Italy for a single day.]

Nihil omnino| sub astris| Italiae comparandum| pace omnium 150 gentium| dixerim| ac terrarum, ut protestationem illam tecum repetam, qua cum nostro hoc Caesare usus sum. Sentio me quidem in hac narrationis parte suspectum; sed non tantus est patriae quin maior esse debeat maiorque sit amor veri. Dabo tamen, si expadiat, testes magnos quibus non credere 155 pudor ipse prohibeat. Sed quid apud te opus est testibus; quem unum testem ego negantibus sim daturus? Addam tamen aliud testem vivum quoque et alienigenam et praeclarum, Guidonem Portuensem; quem memini, et ipse etiam puto meminerit, anno Iubileo ab illa sua gloriosa legatione 160 redeuntem, dum iter suum innata mihi ad illum devotione prosequerer, et ad Benacum, Venetiae lacum nobilissimum, venisse-

mus, atque ipse non suorum modo sed Italicorum procerum atque equitum turba ingenti circumseptus, supra quemdam herbosae telluris tumulum constitisset, ut est ingenio agilis et eloquio facilis ac iucundus, Alpes ad dexteram nivosas aestate ¹⁶⁵ media et profundissimi lacus aestum aequoreo parem, ante retroque colles exiguos, ad laevam vero uberem laetamque planitiem, diu oculis metientem, ad postremum me nominatim evocasse ac dixisse cunctis audientibus : ‘plane, fateor, vos pulchriorem multoque meliorem quam nos patriam habere’. ¹⁷⁰ Dumque me confessione tam clara laetum cerneret, eamque non nutu solum sed verbis et plausibus approbantem, addidisse : ‘At nos tranquilliores vobis statum habemus regimurque quietius.’ Dumque hoc dicto quasi victor abscederet, vinci nolens ac illum voce detinui, immo non ego, sed veritas. Dixi ¹⁷⁵ enim : ‘vestrum nos confestim, ut velle coeperimus, statum habere quis prohibet ? Nam vos talem terram habere prohibet natura’. Tacuit ille subridens, ut qui me vera locutum intelligeret, nec mihi credere nec obniti vero vellet . . . [He refutes those who believe that the Pope would not be safe in Rome, ¹⁸⁰ and reproves those who are bound to Avignon by ties of the flesh. He reminds the Pope of the insult he has suffered at the hands of the mercenary companies, which he himself has admitted to be the result of the desertion of Peter’s seat.]

Age ergo ut coactus, quo excusabilior sis contra nitentibus, ¹⁸⁵ vere autem volens laetusque sedem tuam repepe, quam cum semel attigeris et fortis armatus atrium tuum custodieris, omnia erunt in pace, quae nunc ideo sunt in bello, quia tuum principale atrium non custodis. Et quid multa ? Perproprie tibi conveniet, quod de tuo atque omnium domino dictum est, ¹⁹⁰ pax enim erit in terra dum veneris, dum loqueris pacem gentibus, et potestas tua a mari usque ad mare. Nec te terreat quod Roma quoque per hoc tempus suas praedonum molestias est passa ; rabies nempe barbarica, quae nunc sacram urbem tentat acephalam, mox, ut suum caput illa receperit, non ¹⁹⁵ dicam Romam, sed Italiae claustra prospicere non audebit.

* Sic, quam tuis in pascuis ubique debilior, sic tua pascua sine suo pastore fragiliora sunt semper et iniuriis aptiora.

Non instabo amplius, spero enim te facturum cuncta feliciter,
 200 atque istud in primis quod tantopere posceris, si vigilanter adverteris, ne qua tibi divini muneri subrepatur oblivio, si continuo, te singulariter ad hoc opus assumptum esse memineris. Meministi vero, non dubito, expeditissimumque ad omne pium opus animum habes. Vide autem et vigilantibus oculis cave,
 205 ne quem proprium non premit, alienum pondus opprimat, et a tam gloriosi operis executione perpediat.

Persuade Cardinalibus tuis, illos enim hac in re maxime vereor, Italiam non esse qualem ipsi putant, sed esse, nullo scriptorum illustrium discordante, optimam atque clarissimam et famosissimam mundi partem, esse, ut ipsi testantur et attestatur veritas, unam ex omnibus cui paene nihil mali adsit, nihil absit boni, modo *pax* una non desit; quae deesse te praesente non poterit. Doce illos esse hic urbes nobilissimas atque pulcherrimas, quibus visis fetida vilescat Avinio pudeatque non antea viluisse; esse aerem saluberrimum atque inter frigus aestumque eximie temperatum . . . [Some writers have found the reason for Rome's pre-eminence in its climate.] Esse hic lacus piscosissimos quot qualesve nulla regio tam parvo habet in spatio, esse et flumina et opportunissimis flexibus naturae consilio sic diversis 210 locis errantia, ut Italiae magna pars, Liguria et Venetia et Aemilia atque Flaminia vix insignem locum habeant, qui non a quiescente aquis obsequentibus adeatur. Esse in circuitu geminum mare crebris portibus et nobilium urbium corona et in utrumque decurrentium fluviorum faucibus insigne, ita ut 215 undis hinc *salsis*, hinc *dulcibus* Italia ferme omnis sine labore permeabilis atque amoena sit. Esse, ubi desunt maria, Alpes aerias barbarico oppositas furori. Esse per medium colles virentissimos et apricas valles et campos uberrimos, et qui Italianam quam longa est silvosis iugis intersecat, patrem montium 220 Apenninum, nitidis hinc illinc amnibus gravidum et laticum varietate salubri, fontes gelidos tepentesque, sanis delectabiles,

aegris utiles, sitientibus opportunos, simul et metallorum venas omnium et bellantium armentorum acies et navigiorum species his nostris iam cunctis aequoribus imperantes, ita ut hoc totum quod Mediterraneum vocant mare, si Italici nolint, nisi occulto ²³⁵ latrocinio nulla gens naviget. Esse hic frumenti, vini et olei, esse arborum et fructuum et pomorum, quae vester orbis ignorat, esse silvarum et quadrupedum et ferarum et piscium ac volucrum et ciborum omnis generis infinitam copiam, ne fortassis fame mori metuant, non tu quidem, qui et haec nosti et, ab ²⁴⁰ annis teneris in religione optima enutritus, carnis inedia impinguare spiritum didicisti, sacroque ieunio assuefactus, esuriem amas, crapulam execraris. Sed qui Avignonensibus deliciis assuevere, nihil praeter Rhodanum cogitare queunt; nec si queant, nolunt, tam dulcis est enim error consuetudine ²⁴⁵ saporatus et conditus annis, ut palato animi veri gustus amerior fiat, quo profecto spirituali aegritudine laborantibus nihil est funestius. Qui si dicant, ut soliti sunt, deesse aliquid Italiae, non contendam; nam si nil penitus deesset, non terrestris esset sed caelstis regio; poeticumque illud hoc dicentibus ²⁵⁰ ingeram: 'Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt.' Simulque illud adiiciam, terram nullam esse, cui non aliquid, immo non multum desit. Sed fidenter nulli minus deesse quam Italiae, eamque ante omnes rerum bonarum abundantissimam affirmabo, raro aliquid affirmare solitus; sed hoc usque adeo ²⁵⁵ certum puto, ut ne Indis quidem aut Aethiopibus sit ignotum. Invitus de materia humili et aliena meis usibus diu loquor, sed res cogit; novi mores. Audivi saepe, dum dicerent Benuense vinum Italiam non habere. En gravis infamia iustaque causa Italiae relinquendae! . . . [He satirizes the gluttony of the ²⁶⁰ Cardinals. He reminds the Pope that the Turks are increasing their power in the East. The danger has reached the threshold of Italy, and there the Pope ought to be. He and the Emperor have a stern task before them.]

. . . Vnum, quia ioco proximum erat, praeterire mens fuerat, ²⁶⁵ sed coegit pius animi calor nihil oculere nihilque subtrahere

sacris auribus tuis omnium quae vel tuum nomen vel conscientiam meam premunt. Fama est esse palatii tui partem, quae Roma dicitur, quam ingressus sponsae te reddidisse totumque
 270 prorsus implesse Romani Pontificis officium videare. Noli cum Domino tuo ludere; frustra fallaciunculis tentatur, dialecticus summus est, cui sophisma nullum insolubile, scrutator infallibilis ac profundus intelligit cogitationes nostras, de longe semitas nostras et funiculum nostrum investigat, et omnes
 275 vias nostras p^raevidet . . . [God is not mocked.] Nec vero tibi fortuna blandiatur, tua nec te longae vitae spes decipiat; brevis est vita mortalium maximeque Pontificum, seu quod senes ad hunc statum veniunt, seu quia curarum pondus laborque perpetuus et negotiorum aestus necesse est vitam
 280 ipsam efficiant breviorem . . . [Death must be regarded as always near.] Cum ad tribunal Christi igitur ventum erit, ubi non tu dominus et nos servi, sed unus ille Dominus, nos conservi omnes erimus, nonne putas tibi dicturus sit: ‘Ego te a terra inopem suscitans et de humilitate tua erigens, non solum cum
 285 principibus sed super principes collocavi, eosque tibi ad genua pedesque procumbere volui. Tu Ecclesiam meam tibi creditam ubinam gentium reliquisti? Tu multis a me singularibus insignitum donis, quid singulare mihi praeter ceteros reddidisti, nisi quod sedisti in rupe Avinionensi, Tarpeiae rupis
 290 oblitus? An me credis, dum rerum caput eligerem, non alium eligere potuisse? An electionem meam iudiciumque contemnis? Tuque in primis, qui priorum corrigendis erroribus mirabiliter per me assumptus, nihil penitus ab illorum tramite declinasti, ingressu dissimilis, ceteris progressu simillimus et
 295 egressu? . . . [He believes that the Pope will prefer truth to flattery.]

Tu vero nunc reiectis consultoribus vanis, tecum cogita, tecumque delibera, an quod superest temporis in caeno Avinonensi agere malis an Romae, quae tota caro et sanguis est
 300 martyrum; an in saxo illo et in illa ventorum patria, quam nunc colis, an in Vaticano potius sepeliri eligas, locorum

omnium nostri orbis sine ulla comparatione sanctissimo. Ad extremum in die ultimi iudicii an resurgere ames inter Avignonicos peccatores famosissimos nunc omnium qui sub caelo sunt, an inter Petrum et Paulum, Stephanum et Laurentium, 305 Sylvestrum et Gregorium et Hieronymum et Agnetem et Caeciliam, et tot millia sanctorum vel in Christi confessione feliciter quiescentium, vel pro Christi fide felicius peremptorum . . . [He begs the Pope at least not to prevent the Emperor's returning to Rome as the Pope's predecessor is said to have done.] 310 Christus omnipotens dies tuos proroget in longum aevum, aperiatque cor tuum consiliis non blandis nec fortasse delectabilibus, sed sanis ac fidelibus, utque arbitror, Deo gratis. Venetiis, III. Kalendas Iulias [1366].

Iacobo de Verme. Sen. viii. 5.

O insidiosa saepius sors hominum, quam fortunam vocant, et blanditiis fallax, sed interdum minax, quodque est factura praenuntians! Hoc nunc more ultimo usa est mecum, sive ulla, sive altior potestas, de qua queri nefas; nihil insidiis actum est. Vulnus hoc, fateor, diu ante provideram, sed im- 5 pendentia evadere difficile est, praesertim quae ita in alterius manu sunt, ut nullae nobis in his partes vel ingenii vel industriae sint relictæ. Horrebat animus maestus auguriis, et toto corpore contremescens cogitabam semper odiosam mihi magnanimi tui patris absentiam, semperque praesagiens metuens- 10 que quod accedit, ne scilicet rarum illud nostræ aetatis et patriæ nostræ decus, cuius pars aetheria caelo debita erat, et nunc redditæ est, terrestris Italiae atque Athesi, nobis pro hac parte ultima Thrax Hebrus atque Euxinus eriperent. Super quo non tacui, quin et illum et funestam moram litteris atque 15 nuntiorum linguis increpui.

Sed fortasse nec ipse aliud poterat, et invictos humeros imperiosa necessitas atque instantis ruinae pondus urgebat. 'Sic erat in fatis,' inquit Naso, immo vero haec voluntas Dei

20 erat, ut, qui a prima adolescentia iusta arma semper induerat, expeditione novissima contra hostes fidei pro pietate ac religione suscepta, honestissima omnium sanctissimaque militia et armorum usu optimo defuncti animus ad illum, cui tot claras victorias debebat, virtute armatus ac triumphaturus ascenderet; quoque illum pervenisse confido felici laborum fine invento, quorum sibi nullas ferias virtus dabat. Et quoniam mortalium mortes flere, ut olim, iam nec aetatis nec propositi mei est, felicitati ego suae gratulor, damnum meum tacitus maestusque praetereo.

30 Litteram quidem tuam, fili, legi acri quadam et amara dulcedine, talis amici multa mihi suspiria renovantem; cui te similem fieri opto et spero, inque hoc summo ut studio niti velis, hortor ac deprecor. Sic amicos enim omnes, meque in primis, magno gaudio complebis, atque efficies ut, tali filio superstite, 35 tantus pater plane nobis redditus videatur. Neque vero tibi ut multis difficilis ad gloriam via est; habes domi ducem, quem mireris, quem sequaris, cuius ad imaginem te conformes. Habes ante oculos speculum, memoriam viri illius incomparabilis, ac virtutum omnium exempla domestica, primum opus ad 40 exemplar incorruptum. Scribere ultimum est, ne ossa illius, ex quo amicis manibus transvecta Byzantium atque honorifice ibi recondita didicisti, meo consilio amplius moveantur, sed, in caelis quiescente anima illa, in terris inque urbe regia conquiescant. Tu, fili carissime, teque tuamque domum viduam solare 45 et per vestigia tanti patris age viriliter et feliciter. Vale. Ticini, v. Idus Iunias [1367].

Iohanni de Certaldo. Sen. viii. 8.

ANNVS est hodie et ambito zodiaco sol repetit Leonem, ex quo tibi, frater, epistolam illam scripsi, qua securus ipse mei sollicitum te fortassis fecerim, etsi, ut verum fatear, magis me securum iugis meditatio, et, quem illa mihi ingenuit, 5 contemptus mortis inevitabilis effecisset, quam quod ea, de

qua tunc scribebam, astrologorum comminatio prorsus contemptibilis videretur. Neque ideo rursus hoc dixerim, quod illorum nugis plus fidei habeam quam soleo, sed quia memoria praeteriti temporis, verane an falsa nescio, an ni fallor vera, et observatio, quanta in tam parvo numero annorum esse 10 potuit, prope mihi persuaserant ex parte verum esse, quod diceretur septimum scilicet ac nonum annum vitae hominum molestos, alterius insultibus [*sic*] et novae aliquid calamitatis advehere; sed an tertius et sexagesimus ex his constans geminato discrimine duplo terribilior, ut hi volunt, esset, non aequa 15 mihi persuasum erat, multoque minus est hodie in me contrarium ope gratiae caelestis experto. Tunc vero superstitionis illius astrologicae parte altera non in totum liber et in rei exitum intentus, exspectandum anni finem censui, utque tibi sollicitudinem breviorem facerem, epistolam illam, diu post- 20 quam scripta et signata erat, ad te mittere distuli, quo timere de me tardius inciperes.

Exspectatus finis ecce adest; annus ille terribilis, qualis fuerit futurusve aliis sit, ipsi iudicent, mihi salubris ac iucundus fuit; raro unquam corpore saniorem aetate qualibet me fuisse 25 memini. Privatum adversi nihil incidit; publice vero duo prosperrima per hos dies evenere. Ita dico, si stabile atque perpetuum alterum fuisset alterumque futurum est. Illud enim transiit, hoc pendet. Si quidem Petrus, Cypri rex, Alexandriam cepit in Aegypto, magnum opus et memorabile, 30 nostraeque religionis in immensum amplificandae fundamentum ingens, si, quantum ad capiendam, tantum ad servandam urbem animi fuisse; qui sibi certe non defuit, ut fama est, nisi quod comitatus eius ex Transalpinis maxime gentibus collectus, melioribus semper ad principia rerum quam ad 35 exitus, illum in medio praeclarissimi operis deserentes, ut qui pium regem non pietate sed cupiditate sequerentur, collectis spoliis abidere, piique voti impotem, avari voti compotes se fecere.

Ad haec Romanus Pontifex, vere inquam Pontifex Romanus honorifice nominandus, Vrbanus V, quem, ut audire potuisti, 40

(em. 7,1.)

anno altero libera quidem sed fideli epistola cunctantem increpueram, hoc praesenti anno Ecclesiam Christi, quae ab ortu meo usque ad hoc tempus inter Burdegales et Pictavos vaga, interque Carpentoraces Avinionesque novissime con-
 45 senuerat atque torpuerat, illam de faece eruit, et ad sedem propriam reduxit, magni ac multiplicis principium boni, nisi illud, quod Ecclesiae sanctae sponsus avertat, bonorum hostis inconstantia labefactet. Hactenus tamen eo gratius fidelibus animis quo insperatius, vidi certe, quod videre nunquam fateor
 50 speraveram, semper optaveram. Dignum est ut et boni huius auctori totius Ecclesiae consensu meis vocibus grates agam; idque iam meditor ut felicem annum hunc immerita liberem infamia, quodque in alterius epistolae fine promiseram, tecum gratuler, amice, non ut immortalis quidem, sed ut anno huic-
 55 terrifico superstes; ipse enim irrediturus abiit me relicto, qui ut me mortalem novi, sic et illud scio, quod tertio et sexagesimo anno aetatis iam non moriar, cui hodie quartus et sexagesimus natalis est dies. Nam, ut vides, Augusti Caesaris utor verbis, communem seniorum omnium tertium sexagesimum annum
 60 evasimus. Non deos autem ut ille, sed Deum oro, ut mihi quantumcumque superest temporis id salvis nobis superstites amicos traducere liceat, in reipublicae, quod ille ait, et multo maxime animarum nostrarum felicissimo statu. Vale. Ticini,
 XIII. Kalendas Augusti, 1367. Ad auroram.

Guidoni Septimo, Archiepiscopo Ianuensi. Sen. x. 2.

SCIO iam mihi hinc obstare illam Flacci sententiam, ubi de moribus senis agens difficilem illum dixit et querulum, seque pueri acti temporis laudatorem. Non nego id quidem ita esse, sed licet id mihi saepe alibi fortassis, huic nunc tamen 5 epistolae non adversum dico, quamvis enim ego querulus et laudator veterum; haec tamen, seu veterum laus, seu querula praesentium, vera erit . . . [He thinks Guido will be obliged to admit the truth of his assertion that the world has degenerated.]

Nec iniucundum puto, nec inutile fuerit aliquantulum nunc etiam praeteriti temporis meminisse; quam longissime igitur 10 potes, retro mecum verte oculos. Et primam quidem illam vitae partem, quam tu domi tuae, ego in exilio meo egi; neque vero magna hinc elicias argumenta, ubi tam exiguum lumen sit rationis animique. In ipso sane infantiae pueritiaeque confinio forte in Galliam Transalpinam eam scilicet, quae 15 provincia Provinciae nunc dicitur, olim Arelatensis provincia dicebatur, uno prope tempore transvecti ambo, confestimque, qualem aetas illa patitur, amicitia iuncti, usque ad exitum duratura, unum vitae iter arripiimus . . . [He refers briefly to Genoa, Guido's native city.]

Meta puerilis nostrae peregrinationis illa fuit, quae ab antiquis Avennio, a modernis Avinio dicta est. Inde quoniam Romano Pontifici et Ecclesiae secum ibi tunc noviter peregrinanti, neque in suam sedem usque post annum sexagesimum reversurae, locus angustus erat, domorum ea tempestate inops 25 incolarumque colluvie exundans, consilium nostrorum senum fuit ut mulieres cum pueris ad locum proximum se transferrent. In qua transmigratione et nos duo iam pueri, neandum puberes, cum reliquis simul, sed ad aliud, hoc est ad scholas grammaticae missi fuimus, Carpentoras loco nomen, urbs parva quidem sed 30 provinciae parvae caput. Tenes memoria tempus illud quadriennii. . . . [He recalls their peaceful life at Carpentras, and contrasts its present insecurity because of the bands of mercenaries.]

Inde igitur simul quoque (nam quid divisim magna aetatis parte gessimus?), vicina iam pubertate ad Montem Pessulanum, florentissimum tunc oppidum, iurisque ad studium delati aliud ibi quadriennium exegimus; cuius tunc potestas penes maioris Balearicae regem erat, exiguum praeter loci angulum Francorum regi subditum, qui, ut semper praepotentium importuna vicinia est, brevi totius oppidi dominium 40 ad se traxit. Quaenam vero tunc ibi quoque tranquillitas, quae pax, quae divitiae mercatorum, quae scholarium turba, quae copia magistrorum, quanta ibi nunc horum omnium

penuria, publicarumque et privatarum rerum quanta mutatio, et nos scimus et cives, qui utrumque viderunt tempus, sentiunt.

Inde Bononiam perrexi mus, qua nil puto iucundius nilque liberius toto esset orbe terrarum. Meministi plane qui studiosorum conventus, quis ordo, quae vigilantia, quae maiestas praceptorum ; iurisconsultos veteres redivivos crederes. Quorum hodie prope nullus est ibi ; sed pro tam multis et tam magnis ingeniiis una urbem illam invasit ignorantia, hostis utinam et non hospes, vel si hospes, ac non civis, seu, quod multum vereor, regina. Sic mihi omnes videntur abiectis armis manum tollere. Quaenam ibi praeterea tunc ubertas rerum omnium, quaeve fertilitas, ut iam praescripto cognomine per omnes terras pinguis Bononia diceretur . . . [He refers to his visit to Bologna in 1364.] Sentis puto ut dulci quadam cum amaritudine, inter haec mala et bonarum memoriam rerum vensor ; haeret memoriae meae, credo et tuae, indelibile fixumque vestigium illius temporis, dum studiosorum unus ibi agebam. Venerat iam aetas ardentior, iam adolescentiam ingressus et debito et solito plus audebam. Ibam cum aequaevis meis ; dies festos vagabamur longius, sic ut saepe nos in campis lux desereret, et profunda nocte revertebamur ; et patentes erant portae ; si quo casu clausae essent, nullus erat urbi murus ; vallum fragile, iam disiectum senio, urbem cingebat intrepidam. Nam quid muro, seu quid vallo tanta opus erat in pace ? Sic pro uno multi erant aditus ; quisque commodiorem sibi carpebat ingressum ; nil difficile, nil suspectum erat. Ut muro, ut turribus, ut propugnaculis, ut armatis custodibus, ut nocturnis excubiis opus esset, internae primum venena tyrannidis, post externorum fecere hostium insidiae atque insultus.

Quid, notissima ruminans, circa Bononiam demorari stilum cogo, nisi quia tam recens illius mihi veteris Bononiae memoria est, ut, quotiens hanc videre contingit, somniare crediderim, neque oculis ipse meis fiderem ; sic multos iam per annos paci bellum, libertati servitus, copiae inopia, ludis maeror, cantibus

querelae, choreis virginum praedonum cunei successere, ut praeter turres atque ecclesias adhuc stantes miseramque urbem 80 altis verticibus despectantes haec quae Bononia dicebatur diu quidvis potius quam Bononia videretur.

Sed ut iam Bononia discedamus, acto ibi triennio domum redii, illam dico quam pro Arni domo perdita mea mihi sors, bona utinam, reddiderat, Rhodani turbidam ad ripam; qui locus a 85 principio in finem, etsi uno semper tenore iudicii, non tam propter se, quam propter concursantes et coactas ibi concretasque totius orbis sordes ac nequitias, multis atque ante alios mihi pessimus omnium visus sit . . . [*However bad the state of Avignon was then, it is still worse now.*] Vnum hic, antequam longius eam, 90 quod me premit, dicam, nitarque hodie, quod verum nolim, tecum loquendo iuvenescere. Nosti ut in illo surgentis vitae flore, cuius ante memini, quem grammaticorum in stramine velut in deliciis egimus, cum semel parens meus patruusque simul tuus, qui ea ferme tunc aetate erant, qua nunc sumus, ad Carpentera- 95 censem quam modo dicebam civitatulam de more venissent, patruum ipsum quasi advenam voluntas cepit, ex vicinitate credo et novitate rei orta, praeclarissimum illum fontem Sorgiae videndi, qui per se olim notus, si parva de re gloriari cum amico, id est secum, licet, meo longo postmodum incolatu 100 meisque carminibus aliquanto notior factus est. Re audita puerilis et nos cupiditas excivit, ut duceremur, et quoniam non sat tuto committi equis videbamur, singuli nobis famuli dati sunt, qui equos ipsos nosque ut fit a tergo complexi regerent. Atque ita matre illa omnium optima, quas quidem 105 viderim, quae, carne mea, amore autem communis mihi tecum fuit, vix tandem exorata sed multa pavente ac monente profecti sumus cum illo virg, cuius vel sola recordatio laeta est, cuiusque tu nomen et cognomen retinens, doctrinae autem et famae plurimum addidisti. Cum ad fontem Sorgiae ventum esset, 110 recolo enim non aliter quam si hodie fuisset, insueta tactus specie locorum pueriles inter illos cogitatus meos dixi, ut potui: ‘En naturae meae locus aptissimus, quemque si dabitur ali-

quando magnis urbibus praelaturus sim.' Haec tunc ego mecum
 115 tacitus, quae mox postea ut virilem aetatem attigi, quantum
 non otio meo mundus invidit, late claris indicis nota feci.
 Multos illic enim annos, sed avocantibus me saepius negotiis
 rerumque difficultatibus interruptos egi; tanta tamen in
 requie tantaque dulcedine, ut, ex quo, quid vita hominum
 120 esset, agnovi, illud ferme solum tempus vita mihi fuerit, reli-
 quam omne supplicium . . . [He recalls Guido's visits to him
 at Vaucluse, whenever he could escape from his duties at
 Avignon.]

Quotiens autem reris, me nox atra solum procul in campis
 125 invenerit, quotiens per aestatem media nocte surrexerim et,
 nocturnis Christo laudibus persolutis, unus ego, ne somno
 pressos famulos inquietarem, nunc in agros, praesertim sub-
 lustri luna, nunc in montes exierim? Quotiens hora illa, nullo
 comite, non sine voluptate horrida, immane illud fontis specus
 130 intraverim quo vel comitatum luce ingredi horror est? . . .
 [There was no enemy to fear in those days.] Quid deinde mirari
 posses, in rem nosses [sic], adhuc me ibi agente, lupi advenae
 usque in oppiduli domos catervatim ruere cooperant, et facta
 gregum caede, attonitos trepidosque ipsos loci incolas habere,
 135 nec damnum modo, sed augurium esse et luporum credo, qui
 venturi erant, praesagium armatorum. Siquidem non multo
 postquam inde discesseram, parva quaedam foedaque et infamis
 manus furum, sed ignaviae accolarum fidens, omnibus circum
 pererratis ac direptis, ad extremum prorsus, ut sacri fures
 140 essent ac de furto suo Lavernae furum deae rite sacrificarent,
 ipso dominico natali die, incautum rus aggressi, ablatis quae
 auferri poterant, reliqua flammis exusserunt, inque illud
 hospitiolum, ex quo Croesi regna spernebam, ignis immissus est.
 Testudo vetus incendio restitit, properabant enim fures impii;
 145 libellos aliquot, quot illic abiens dimiseram, villici mei filius, iam
 id ante praesagiens futurum, in arcem contulerat; quam pree-
 dones inexpugnabilem, ut est, rati, sed ut erat indefensam ac
 vacuam ignorantes abidere. Sic diris e faucibus praeter spem

servati libri, providente Deo, ne tam turpes ad manus praeda
tam nobilis perveniret . . . [He recalls his journey to Toulouse 150
and Gascony in 1330.]

Parisiorum urbem petii, in quo quidem itinere ac reditu, sic iuuentae calcar urgebat, extremos regni angulos Flandriamque et Brabantiam atque Hannoniam et inferiorem Germaniam circumvivi. Quo cum nuper ex negotio rediisse, vix aliquid 155 omnium recognovi, opulentissimum in cineres versum regnum videns, et nullam paene domum stantem, nisi urbium aut arcium moenibus cincta esset; de quo tunc ad venerabilem senem Petrum Pictavensem scripsi latius ac dixi, qui post obiit, ante non multum tempus felicius obiturus. Vbi est enim illa 160 Pariseos, quae licet semper fama inferior^(5.2), et multa suorum mendacis debens, magna tamen haud dubie res fuit? Vbi scholasticorum agmina, ubi studii fervor, ubi civium divitiae, ubi cunctorum gaudia? Non disputantium ibi nunc auditur, sed bellantium fragor, non librorum, sed armorum cumuli 165 cernuntur; non syllogismi, non sermones, sed excubiae atque arietes muris impacti resonant. Cessat clamor ac sedulitas viatorum; strepunt moenia, silent silvae; vixque ipsis in urbibus terti sunt; cessit enim penitusque abiit, quae illic templum nacta tranquillitas videbatur; nusquam tam nulla 170 securitas, nusquam tam multa pericula. Quis hoc unquam, quaeso, divinasset, quod Francorum rex, quamvis, quod ad se unum attinet, invictissimus hominum, vinceretur et in carcerem duceretur et ingenti pretio redimeretur? Tolerabilius tamen hoc efficit auctor mali rex a rege licet impari victus 175 est . . . [He recalls his visits to Rome, Naples, and the cities of Northern Italy, all of which have suffered calamities.]

Certe enim haec ipsa, unde tibi nunc scribo, et cuius ad ultimum incola factus sum, non tam oblectationem quam securitatem et quietem quaerens, Venetorum urbs, quamvis et 180 consilio civium et locorum situ inter omnes alias nostri orbis prospero ac tranquillo sit in statu, fuit tamen aliquando prospere, tunc scilicet eam visendi gratia cum praceptor meo

huc primum e Bononia adolescens veni ; et hoc quoque sic esse
 185 non negantes cives audias, etsi, quod nec ipse negaverim, aliquid,
 immo quam plurimum, aedificiis accesserit . . . [In so far as he
 is acquainted with affairs in the East, he sees the same deteriora-
 tion. The whole world is full of wars.]

Rara bella inter regna vel populos de finibus aut de iniuriis
 190 gerebantur ; societas contra omne genus humanum nulla
 usquam nostro aevo fuerat. Erant societates mercatorum, quas
 ipsi vidimus, quibus ante omnes patria diu floruit mea ; per
 quas, quantae commoditates afferrentur, hominibus difficile
 est dictu, difficilius creditu. Per has enim totus fere noster
 195 orbis regebatur ; reges ac principes universi horum ope et
 consilio fulti erant. Alterius generis societates, peregrinorum,
 magno agmine devota loca, Hierosolymam Romamque, peten-
 tium cernebantur. Fures ibant singulatim noctu pavidi, nullae
 furium diurnae acies campis explicabantur, nulli armati socie-
 200 tatum duces famam sibi gentium cladibus propria feritate
 quaesierant. Quintus et vigesimus annus est ex quo auribus
 primum nostris horrisonum hoc nomen intonuit ; quod malum
 brevi quantum creverit, quorsumve processerit, videmus ; ac
 miseri cives et agricolae, immo et reges et pontifices usque ad
 205 summum maximumque omnium experti sunt, qui, ut supra
 attigi, ad Rhodanum, unde nuper abiit, semiobsessus ab illis
 atque ad indignam redemptionem exstitit coactus . . . [He
 reminds Guido of the plague from which Italy has never been
 free for twenty years.]

210 Terraemotum verum nostrae aetatis nullus senserat ; vige-
 simus annus est nunc (unum enim mali utriusque princi-
 piū fuit) ex quo Alpes nostrae, quarum motus insolitos
 ait Maro, viii. Kalendas Februarias tremuere, inclinata iam
 parumper ad occasum die, Italiaeque simul ac Germaniae
 215 pars magna contremuit tam vehementer, ut adesse mundi
 finem inexperti quidam crederent, quibus insueta prorsus et
 nunquam cogitata res erat. Veronae tunc in bibliotheca mea
 solus sedens, quamquam non in totum rei nescius, repentina

tamen et nova re percussus, solo tremente sub pedibus, et undi-
que concursantibus ac ruentibus libellis, obstupui, et egressus ²²⁰
thalamo familiam moxque populum trepidissime fluctuantem
vidi; omnium in ore funereus pallor erat. Qui hunc proxime
secutus est anno Roma tremuit usque ad ruinam turrium ac
templorum, simul et partes Etruriae tremuerunt, de quo tunc
sollicitus ad Socratem nostrum scripsi. Anno idem septimo ²²⁵
tremuit inferior Germania totaque Rheni vallis; quo tremore
Basilea concidit, non tam magna urbs quam pulchra et ut
videbatur stabilis, sed contra naturae impetum nihil est stabile.
Inde ego paucis ante diebus abieram, Caesare ibi, hoc nostro
bono quidem mitique principe, sed ad omnia lento, per mensem ²³⁰
exspectato; qui mihi tandem in extrema barbariae quaerendus
fuit . . . [Such calamities certainly are not caused by men, but
permitted by God.]

En, pater, ut die uno annos nostros omnes tibi ante
oculos congessti, merito quidem longe impares, numero autem ²³⁵
pares, quem ego nuper ad amicum scribens bona fide sum
professus. Tu an idem facias, an adhuc, quod nonnulli senum
solent, iuuentam respiciens aliquid etiam nunc occultes, nescio.
Vive felix, et vale nostri memor. [Venice, 1367.]

Francisco Bruno. Sen. xi. 2.

FORSAN, amice, de responsi mei tarditate miraberis, sed
cognita causa desines mirari. Scito igitur me hinc sub
adventum tuarum litterarum abiisse; magnis enim precibus
et repetitis litteris Ticinum iterum atque iterum evocabar, et
quamvis naturae meae infesta aestas adventaret, meque hinc ⁵
quietis amor stringeret, illinc status praesens et suspectum
latrunculis deterret iter, vigente tamen hinc ingrati metu
honestique inde specie animum attrahente, quod scilicet ad
tractatum tantae pacis evocatum me sentirem, si fortassis ulla
ex parte bono publico utilis esse possem, parui, digressusque ¹⁰
Patavio ad viii. Kalendas Iunias, vi. illuc die hora tertia perveni.

Neve in singulis morer, illico redditurus fueram non obstante tibiae collisione, qua in parte corporis a pueritia parum felix fui, et quae me tum saepe olim tum per hos dies complusculos affixit, invisasque inter medicorum manus usque nunc detinet, nisi quod aestuante in horas bello, iam terrestre iter ad redditum prorsus obstrusum erat, nec navis ulla prece vel pretio reperiri poterat, quae se periculo exponere auderet. Etsi enim Padus ipse etiam bello arderet, sperabam tamen eo calle a fortuitis me praedonibus tutiorem, quibus cessantibus nil timebam, ratus meum propositum atque amorem pacis et belli odium utriusque parti notum esse.

Et sic accidit, siquidem mense ibi integro et amplius inter navis inquisitionem et difficultates rerum varias absumpto, tandem nauclerus unus non tam pavidus affuit, qui securum me videns et ipse desiit timere. Cuius in navem mirantibus cunctis, quibusdam vero et reprehendentibus, introivi; successitque feliciter duce Deo. Cum enim ubique classes in undis armatas, ubique in ripis armatas acies invenerim, nautis famulisque trementibus atque pallentibus, ego unus, seu hanc amentiam seu fiduciam quis dixerit, ubique intrepidus atque inermis occurri, non solum incolumis sed etiam honoratus, uno omnibus ore fatentibus non esse alium praeter me qui iter illud ageret securus; cumque ego id meae tribuerem parvitati (solere enim animalia parva, quae magna non possent, transilire), una omnes voce similiter respondebant, neque magnum neque parvum inveniri posse, qui non alterutris vel inquisitus esset vel suspectus. Denique narro, non sum nescius, plura quam necesse est, quia certum habeo te libenter haec legere; ubi omnes capti vel occisi et certe spoliati omnes essent, ego vino et altilibus et pomis et speciebus sic onustam puppim habui, ut non ferocitas quidem ulla, sed liberalitas bellatorum meum illud iter pacificum retardaret. Quorum nihil penitus meritis meis, sed divinae cuncta clementiae ascribo, quae mihi et amicum pacis animum dedit, et hunc ipsum omnibus late notum inque meo [clare] legibilem vultu fecit.

Sed progredior. Cum tandem Patavium nudiustertius ad vesperam pervenissem, imbre perpetuo atque ingenti, is qui huic urbi praesidet, amicus tuus, vir potentia magnus sed virtute maior, ante exspectatum reditu meo laetus, usque ad 50 portam civitatis mihi obviam venit; sed nocte repulsus ac pluvia dimisit e suis qui apertos mihi aditus servarent. Et quantum honoris atque amoris sero illo in me congesserit, non missis tantum famulis rerum onustis variarum, sed demum ipse cum paucis ad me veniens ac cenanti assidens, et post cenam 55 illic inter libros in noctem usque concubium comitatus confabulationibus colloquiisque gratissimis, neque si narrare velim potero, neque si possim fides dabit[ur]. At post dies paucos, cum iam reditus meus Venetiis notus esset, Donatus noster grammaticus, qui ibidem litteras mihi tuas simulque apostolicas 60 reservabat, utrasque mihi attulit. Et tuas quidem laetus ut soleo, illas non reverens modo, sed stupidus ac submissus accepi; utrobique sane nondum datas die secundas epistolas meas illuc pervenisse cognovi, neque miratus sum; praeter enim absentiae meae moram, litteras ipsas apostolicas iam 65 bullatas apud te diutius substitisse ipsis in litteris tuis legi . . . [He asks Bruni to read his reply to the Pope, and expresses his gratification at the Pope's letter.] Colutium cuius me verbis salutasti, ut salvere iubeas, precor, et talem tibi operum participem obtigisse gaudeo, utrique requiem obtigisse gavisurus 70 magis, quamvis gloriosum laborem magnis delectationibus abundare non dubitem, sed id amicis optare soleo, quod mihi. Vale. Patavi, XII. Kalendas Augusti [1368].

Hugoni de Sancto Severino. Sen. xi. 9.

I VVENIS iste, quem conspicis, aliquot annos mihi pro filio fuit, nec esse desinit, etsi enim corpore abeat. Confido eum animo non abire, et hunc ipsum motum non tam sibi quam aetati imputo, firmitatis indigenti et discursibus gaudenti; qui mos, ne meipsum, quod saepe soleo, nunc accusem, multos 5

in senium comitatur; et hic quidem adolescens, boni ingenii raraeque indolis, adolescens tamen, multis de more consiliis agitatis, nobilis ad extremum praetulit, et quoniam ire fixum erat, non alia quam discendi cupiditate, peregrinari elegit. In primis autem litteras Graecas sedit, et senile Catonis desiderium vixdum pubes anticipat. Hunc ego impetum iam per anni spatium non sine ingenio et labore continuo, saepe precibus, interdum iurgiis, ostendens ingerensque oculis, quantum sibi Latinarum nunc etiam litterarum desit, difficultates quoque rerum varias ac pericula coacervans, quibus iuvenilem temperari posse rebar ardorem, praesertim, ex quo semel digressus brevi, ut sibi praedixeram, cogente necessitate redierat. Et plane, dum peregrinationis infaustae memoria recens fuit, substitut parumper et spem dedit posse animum regi.

Nunc tandem, ut fit, non longa requie laborum omnium subrepsit oblivio. En iterum frenos mordet, nec iam ulla vel vi vel arte compesci potest, sed ardentि nescio an prudenti et sobrio discendi desiderio, dimissa patria amicisque et cognatis et annoso patre et me, quem ut patrem diligit, et quem patri saltem conversatione praetulerat, ad te solo sibi nomine cognitum festinat. Neu forsitan mireris, habet ista praecepsitatio rationis velum, cum enim primum illi animus fuisset recto calle Constantinopolim proficiisci; edoctus a me, Graeciam ut olim ditissimam, sic nunc omnis longe inopem disciplinae, hoc uno mihi credito, non omisit iter propositum, sed inflexit; cumque ex me saepe audisset aliquot Graiae linguae doctissimos homines nostra aetate Calabriam habuisse, nominatim duos, Barlaam monachum, ac Leonem seu Leontium, quorum uterque mihi perfamiliaris, primus etiam et magister fuerat, profecissetque aliiquid fortasse, ni mors invidisset, statuit Calabrum litus invisere et Italiae plagam illam, quae Magna olim Graecia dicta est; cum ubique autem te potentem illic potentissimum non ignorans, meis litteris commendari optavit, quas apud te, nec fallitur, efficaces sperat, annui haud gravatim, et tibi solatium ut opinor ex illius ingenio, et illi

praesidium ex tua potentia quaesiturus. Amo enim hominem,
 et quamvis levitatem animi non tam approbem quam excusem,
 discendi votum improbare non audeo; immo me iudice
 dignus est assequi, quod tam anxie tamque ardenter expetit,
 ut dum illud solum cogitat, non difficultatum modo vel 45
 affectuum, sed sui ipsius et suarum virium sit oblitus; quod
 desperat apud Graecos, non diffidit apud Calabros inveniri
 posse. Commendo igitur eum tibi, quem si late videris atque
 ope et consilio adiuveris, rem te dignam, et ut arbitror Deo
 gratam feceris, mihi vero gratissimam, qui subtristis illum 50
ac sollicitus abeuntem video. Vale. [1368.]

Vrbano V. Pont. Max. Sen. xi. 17.

MVLTOS eorum, qui magnum aliquid aut armis aut ingenio
 molirentur, mortis interventu coepta destituisse, beatissime
 pater, accepimus. At ne aequo longior evadam, paucis contentus,
 multa praetermittam; neque enim res incerta est aut
 egens testium . . . [*He gives examples from ancient history and the lives of the Latin poets of achievements cut short by death. But he will not compare himself with such men.*] Sed sunt et aliae
 ad gloriam viae; unum erat, idque per se magnum, mihi vero
 permaximum, ut ad te venirem. Quid enim felicius? Quid
 maius meae sortis homunculo vel contingere poterat vel sperari, 10
 quam totiens, totque tam honorificis litteris, tam benigne, tam
 leviter evocatum ad Romanum Pontificem, non quemlibet,
 sed quem Christus Ecclesiae suae dedit omnium pontificum
 nostrae aetatis corrigendis erroribus, proficisci? Quidve nisi
 amplum ac magnificum haec mihi peregrinatio allatura videre- 15
 tur, cum tantum gloriae sola vocatio attulisset, ut et ipse magis
 me amare quodammodo, et alii magis ac magis inciperent me
 mirari plurisque me facere, quem tantus non contemneret
 extimator?

Veniebam ergo tanta alacritate, quantam in nullo hominum 20
me vidisse, nescio an in ullo usquam leguisse memineram. Sed,

ut verum fatear, alacritas illa solius erat animi, corpus enim adhuc imbecille erat et invalidum; neque ulla prorsus mihi virium fiducia, omnis in caelesti spes erat auxilio. Sic euntem,
 25 supraque vires et supra aetatem tui trahente desiderio properantem mors inopina coercuit. Quid enim licet incredibile verum loqui timeam? Non aegritudo illa sed vera mors fuit. Fictionem poeticam quis dixerit aut hyperbole importunam, morbo aut extasi mortis nomen imponere. Ego vero de
 30 incognitis non dispuo. Triginta vel eo amplius horas quid fuerim non magis memini, quam quid fuerim antequam nascerer. Nullus intellectus in anima, nullus sensus in corpore, in quo cum multa et acria remedia tentarentur, nihil omnium quae erga me et in me fierent aliter sensi quam imago
 35 marmorea Polycleti sensisset aut Phidiae. Nemo denique me nisi defunctum dixit et credidit. Sic apud nos ubique vulgatum, sic Patavii, sic Ferrariae, ubi tunc eram, vulgo creditum. Sic devotis tuis, huius rectori urbis, et illi cuius in domo iacebam, physicisque suis persuasum fuit. Quod tam
 40 graviter tulere ii nobiles magnificique viri, ut, quibus olim multum debui, infinitum debeam, neque ipsis modo, sed utrique populo tantus mei obitus utrobique publicus dolor fuit. Neque minus eadem fama Venetias atque Mediolanum et Ticinum, urbesque alias ubi amicos habere videor, pervagata
 45 est, ita ut quidam ex eis ad me visendum vel sepeliendum accurrerint.

Quin et sacratissimas aures tuas famam hanc pulsasse auguror. Quod ut credam, non mei nominis claritas, quae nulla est, sed eorum cogit ambitio inexpletaque rabies, qui alto opum in
 50 pelago sitientes, diebus ac noctibus te circumstant, tuamque non desinunt infestare clementiam, quique, si recolis, ante annos, cum mihi casus multo quam nunc levior accidisset, adierunt te certatim beneficia mea, pauca quidem et parva, poscentes, plura licet et maiora quam mereor, et quae illis
 55 plane multa et opima videantur, solam hanc ob causam, quod mea sunt; uni adeo sum magnus invidiae. Petierunt

autem non haec duo tantum, quae tunc temporis habebam
quaeve nunc habeo, sed illa quoque quae ante longum tempus
amicis egentibus sponte concesseram. Et, quod mirer, nisi tam
praeceps et tam caeca cupiditas sit, illa etiam quae nunquam 60
habui, unde effectum ut illis cuncta miscentibus complusculos
dies tota curia bullis inefficacibus ebulliret . . . [He imagines
the same thing is happening now, for avarice increases with old
age.]

Redivivo sane idem mihi, qui ante casum fuerat, veniendi 65
ad pedes tuos erat animus, nec me terrebant medicorum
mina una voce firmantium nullo modo vivum me Romam esse
venturum. Quamvis in hoc cum iis plane sentirem, quod si
me in loco aliquo deserto casus ille violentus ac terribilis
invasisset, actum erat de me. Sperabam tamen posse vivus 70
pervenire, illic autem omne, quodcumque mihi evenisset,
felix faustumque censebam, tum quia benedictio tua mihi ex
corpore hoc migranti non defuisset, ut spero, tum quia, quid-
quid cardinales tui dicant, ut libet irrideant, quodque est
odium simulent contemptum, Roma procul dubio sacro- 75
sanctissimus mundi locus est, ubi Christianus verus et vivere
optet et mori. Quid me ergo detinet? Non timor, hercle,
sed debilitas, quae tanta est ut non magis Patavium redire
quam Romam adire potuisse, nisi quod in navi iacens redii,
ubi et domino et omni populo stupori et gaudio multo fui, 80
ita me spectantibus ut hominem a mortuis redeuntem. Hic
sum, pater beatissime, non infirmus modo, sed maestus
quoque, quia honestissimum desiderium meum sperato caruit
effectu, quodque optimum moliebar impleri non licuit. Nihil
tamen mihi conscientius hac in re feci, Christum testor, quod 85
in me fuit, et saepe mecum in silentio recogitans, ita mihi
accidisse doleo. Miror autem minime, causam enim scio.
Non eram dignus te videre. Tibi vero, Christianorum pater,
corpore atque animo nunc affusus, supplico, ut impotentiae
meae parcas, meque inter ultimos servos numerare digneris, 90
quamvis inutilem et ignotum. Is qui te Ipsi vicarium legit in

terris, diu sospitem tanto servet officio, teque hinc sero digredientem caelesti sede recipiat.

Patavi, viii. Idus Maii [1370].

Matthaeo Longo Archidiacono Laodicensi. Sen. xiii. 7.

ERAT forte dies festus ac sollemnis, quem mihi sollemnior
erem fecit ac laetiorem tuarum adventus subitus litterarum,
dies, inquam, qui ad vestigia Salvatoris adoranda reges olim ab
oriente perduxit. Nunc ad me praedulciter salutandum
5 mitissimas talis amici litteras ab extremo attulit occidente;
videntem omnia Christum testor, vix tale aliquid laetius
poteram audire. Multos enim iam per annos de te certi
nihil audieram, cum facies tua semper his affixa praecordiis
inhaereret, quam inde divellere nec locis nec temporibus nec
10 fortunae unquam licuit aut licebit. Dubitabam tamen et
humani more animi metuebam, praecipue postquam Mediolano
abii et amicus meus quidam fidissimus Pergamensis rebus abiit
humanis, qui voti mei conscius saepe me de tua vita ac salute
certiorem nunc verbo nunc litteris faciebat. Quamvis autem
15 nos mortales natura protulerit, ut neque immortalitatem
sperare neque mortem metuere debeamus, mecum tamen ipse
recogitans, praeter te et reverendissimum Philippum, olim
dum in curia quae Romana dicitur versaremur, Cavallicensem,
nunc Sabinensem episcopum cardinalem, nullum mihi iam
20 eorum, quos a iuventute dilexerim, superesse, non poteram,
fateor, non timere, de utroque sollicitus, de te autem eo solli-
citior quo incertior; et damna mea metiens atque dinumerans
crebroque suspirans in silentio dicebam: ‘O quid agit nunc ille
carus pater et amicus tuus? O si vivit et vestitur aura aetherea?
25 O si bene secum agitur? O utinam vivat et valeat nec me
solum in hac misera*rum* valle destituat!’ Nunc gratias Deo,
de quo timui, iam gaudeo et exulto non vivum modo illum sed
incolumem audiens. Fecisti optime, ut soles, omnia, qui brevi
epistola longa me sollicitudine liberasti.

De meo vicissim statu, si status dicitur assidue labi, de quo ³⁰ ← in parte tuarum litterarum ut scriberem postulasti, brevibus accipe. Sum animo per Christi gratiam quieto satis ac tranquillo et iuvenilibus, nisi fallor, pridem passionibus expedito, contemptor magnus omnium, quae miratur humanum genus, familiariter tecum, sed in domino glorior, quia licitum mihi ³⁵ spero. Corpore diu sanus fueram, hoc biennio infirmus et saepe pro mortuo habitus, vivo tamen adhuc, quantuluscunque sim tuus ut soleo; in rebus aliis paene omnibus sic est mihi ut erat quando ultimum me vidisti, ex quo si rite numero, hic quartus et vigesimus annus est, tempus vitae prope, ne ⁴⁰ dicam absentiae, longum satis. Potui equidem altius ascendere, sed nolui; omnis mihi altitudo suspecta est. Mansi ergo in humilitate mea, id utilius credens atque iucundius, et ad summam nulla re ferme auctior sum quam fui, nisi tot annis et aliquot libellis, mallem scientia ac virtute, nulla re imminu- ⁴⁵ tior, nisi valetudine prospera et amicis, quos mihi quamplurimos paucis annis dura mors rapuit patientiamque meam vehementer exercuit.

Aliquamdiu Venetiis moras traxi, nunc sum Patavii in ecclesia residens. Fecit Deus inscio me, ut tempestive ad- ⁵⁰ modum inde discederem, instantे inter has urbes hoc gravissimo quod nunc saevit bello. Futurus ibi suspectus, hic sum carus. Magnas tamen partes temporum ruri ago, nunc etiam ut semper solitudinis appetens et quietis. Lego, scribo, cogito, haec vita, haec delectatio mea est, quae mihi ⁵⁵ semper ab adolescentia mea fuit. Mirum tam iugi studio tam pauca tanto in tempore didicisse. De reliquo autem nulli hominum invideo, nullum odi, et, quod ante longissimum tempus scripsi, nullum despicio nisi me, nunc multos despicio, primum me. Fuit igitur prima aetas mihi tumore ⁶⁰ atque errore iuvenili contemptrix omnium praeter se, media autem gravitate virili sui solius contemptrix, haec ultima libertate senili, et sui ipsius ante alios, et paene omnium, nisi quos virtus clara contemptui eximit, rarum genus. Ad haec

65 nullum valde metuo, nisi valde amem, nihil valde cupio, nisi bonum finem; turbam famulorum velut hostium fugio, fugiturus omnes si liceret; id ne liceat, aetas atque fragilitas efficiunt. Visitatores nullo usquam secessu, nullis latebris fugere valeo, honorificum vitae meae taedium ac laborem.

70 Exstruxi mihi in collibus Euganeis parvam quidem sed decoram atque honestam domum; ibi reliquias vitae, quae datur, in pace exigo, et defunctos et absentes amicos tenaci memoria animique ulnis arctius semper amplectens, singulariter tui memor, tui cupidus, si qua fors sineret. Neve quid te lateat 75 mearum rerum, saepe per hos annos a Romano Pontifice atque Imperatore, quin etiam a Francorum rege aliisque principibus multa cum instantia ac saepe magna, nescio quidem cur quodve ob meritum, sed quod magis reor, fato quodam evocatus, aequa omnibus hactenus surdus sum. Contra 80 multorum enim sententiam sic expediens arbitror libertati. Sed nimis te detineo, parce, oro, et vale.. Patavi ad vesperam Epiphaniae [6 Ian. 1372].

Pandulpho Malatestae. Sen. xiii. 8.

E PISTOLAM tuam, vir clarissime, plenam tuae illius anti-
quae, mundo quoque iam notissimae, caritatis, ante non multos dies acceperam; dumque et aliis ex causis, et ut tibi opportunius responderem, dimisso rure, ubi libentius multo 5 quam in urbibus habito, Patavium rediissem, tibique quod placitum certus eram, de mea salute anxi, scribere meditarer, ex longa me scilicet aegritudine prope iam sanitati redditum (credo ut maestam potius veritatem quam laetum mendacium audires) caelitus effectum ut me subito viii. Idus Maias 10 familiaris meus violentissima febris arriperet. Convenerunt medici, et quos domini iussus urgebat, et quos nostra trahebat amicitia, et multis altercationibus hinc inde habitis (nosti morem) diffinierunt me nocte media moriturum. Et erat iam

noctis illius prima vigilia ; vides quantulum mihi vitae spatium restabat, si vera essent quae hi nostri fabulantur Hippocrates. Sed quotidie magis ac magis me in illa quam de his semper habui opinione confirmant. Dixerunt unicum longiusculae remedium vitae esse, si fidiculis nescio quibus astricto somnus abrumperetur ; sic me ad auroram forsitan perventurum, exigui spatii taediosa merces. Cum tamen somnum mihi in eo statu 20 eripere, esset haud dubie mortem dare.

Itaque nihil obtemperatum. Nam sic amicos oravi, sic famulis mandavi, ne quid quod a medicis dictum sit meo unquam fiat in corpore. Siquid penitus fieri debet contrarium fiat. Proinde noctem illam dulci ac profundo placi- 25 daeque morti, ut ait Maro, simillimo sopore transegi. Quid te verbis morer ? Nocte media peritum mane redeentes, forte ut exsequis interessent, scribentem invenerunt, et attoniti nil aliud quod dicerent habuere nisi hominem me esse mirabilem. Totiens in me decepti et elusi nec iterum et iterum impudenter 30 asserere desinunt, quod ignorant, nec clypeum alium inveniunt, quo ignorantiam suam tegant. Et ut sim fortasse mirabilis, quanto ipsi mirabiliores, nam qui illis credunt non iam mirabiles sed stupendi sunt. Hic ergo sum, vir inclyte, sic mea me sors versat et reversat, et quamquam sanus video nonnunquam, 35 semper tamen ut arbitror aeger sum. Alioquin unde tot tam rapidae febres erumperent vicissimque repullularent, sed ecce, ut aut nocte illa media obiissem, aut instanti obeam, quid ad me ? Ad hoc ibam. Et quid nocet mox casurum cadere, seu quid prodest surgere illico ruiturum ? 40

Quando tamen generosum animum tuum haec tam humilis cura contingit, ut scire cupias qualiter mihi sit, scito me de statu mei corporis prorsus incertum, neque me solum sed omnes quicumque hic vivimus mortales, eo me tamen incertiorem, quo visibilius quotidie ipsa cum morte configo, quae sive me 45 confestim oppresserit, ut iam quater inter unius anni spatium minata est, sive diuticule distulerit, diu nempe non differet. Christo Deo meo aequa de omnibus gratias ago, Ipse enim novit,

quid mihi expediat, et Ipse faciet; utrum sane sit melius mori
 50 an vivere Deus scit, hominem quidem scire arbitror neminem,
 ut moriens apud Ciceronem ait Socrates. In me tandem sic
 diffinio. Nec tibi, vir optime, nec eorum quibus carus sum
 cuiquam amplius est cogitandum aliquid vel optandum nisi
bonum finem. Et certe iam tempus est, non expedit ad
 55 fastidium vivere, ad satietatem sufficit. Tu vive feliciter mei
 memor, et vale. Inter colles Euganeos, vi. Idus Iunias. [1371.]

Pandulpho Malatestae. Sen. xiii. 10.

NEC cessat tua mecum nec lentescit humanitas; gratiam
 habeo, quantam quisquam grati hominis speret e pectore.
 Anno altero, ut me faucibus saevientis late pestis eriperes,
 blandis scriptis ac nuntiis ad loca salubria evocabas; nunc
 5 belli minis erupturus ad loca pacifica me invitatis. Sic in omni
 discrimine inque omni sive elementorum sive hominum motu
 pia me amplexus memoria, te, aetate filium, amore ac sollici-
 tudine patrem geris, urges litteris, quae possint duris e rupibus
 saxa convellere. Addis comites, addis equos, nihil omnium
 10 praetermittis, quamvis et equorum et comitum satis sit et
 desiderii infinitum; at virium et vigoris corporei parum est,
occupationum vero longe nimium. Haec ad te properantem
 animum meum frenant; adde asperum tempus, iter intracta-
 bile et super omnia pudorem hoc in statu rerum abeundi.
 15 Nolim, quod nunquam fui, timidus nunc videri. Quod si res
 istae mitescerent, fieri posset ut circa veris adventum praesens
 te inviserem, tuisque nec minus meis oculis aliquando morem
 gererem tecumque quiescerem. Neque est opus ut locorum
 amoenitate solliciter; scio loca esse qualia et tu scribis et ipse
 20 olim aliqua puer vidi, et praeterea locus omnis ubi tu sis
 nunquam nisi amoenus ac iucundus videri animo meo potest.

Nugellas meas vulgares, quae utinam tuis manibus, tuis
 oculis tuoque iudicio dignae essent, per hunc nuntium ad te
 familiariter venientes videbis, non patienter modo, sed laete,

non dubito, cupideque; atque aliqua vel extrema bibliothecae 25
tuae parte dignabere. Multa ibi comperies excusationis
egentia, sed benigni censoris iudicium subiturae veniam non
desperant. Ante omnia opusculi varietatem vagus furor
amantium, de quo statim in principio agitur, ruditatem stili
aetas excuset, nam quae leges magna ex parte adolescens 30
scripsi. Si excusatio ista non sufficit, excuset tuae petitionis
auctoritas, cui negare nil valeo. Invitus, fateor, hac aetate
vulgares iuveniles ineptias cerno, quas omnibus, mihi quoque
si liceat, ignotas velim. Etsi enim stilo quolibet ingenium
illius aetatis emineat, ipsa tamen res senilem dedecet gravi- 35
tatem. Sed quid possum? Omnia iam in vulgus effusa sunt
legunturque libentius quam quae serio postmodum validioribus
animis scripsi. Quomodo igitur negarem tibi sic de me merito,
tali viro tamque anxie flagitanti, quae me invito vulgus habet et
lacerat? Qualiacumque sint, igitur non habes quod queraris, 40
habes etenim quod petisti. ‘Tu modo te iussisse, pater
Romane, memento Inque meis culpis tu tibi da veniam,’ ut ait
Ausonius Magnus ad Theodosium Augustum. Ad haec et
plebeios atque incomptos apices scriptorum raritas absolvat,
qui huic famoso quandam Studio mirum dictu fere nulli sunt, 45
tarditatem vero scribentis inertia et bellorum fragor. Diu
ante missurus haec fueram, nisi Mars circumtonans vetuisset.
In correctionem operis, si qua occurret, mea excuset occupatio,
qua obsessus feci haec per alios revideri. Denique exterioris
habitus paupertatem mea excuset absentia; profecto enim si 50
fuisse praesens, dum in libri formam ligaretur, et sericum
tegmen et fibulas saltem argenteas habuisset.

Multa nunc de tua gravi aegritudine, quae me vehementer
exterruit et afflixit, multa quoque de tuorum casibus mihi
pro virili parte flebilibus stilo sese offerunt, quae iam fessus 55
calamus recusat. Nolo quidem putas illam me èpistolae tuae
partem sine suspirio, ne dicam lacrimis, legisse, quae mihi
aeternam venerabilis ac praeclarae coniugis simulque magna-
nimi fratris tui dulcem acerbamque memoriam renovavit.

60 Illa enim quae suis nunquam sed tuis oculis tantum vidit, non aliter quam parentem me dilexit honestique vicem meruit amoris. Ille autem familiarissime cognitum et amavit et coluit non verbo tantum, ut huius temporis mos est, sed realibus multis et magnis obsequiis, et ad summam alter, immo idem 65 ipse mihi Pandulphus evaserat. Itaque coram Christo loquor, vix alii duo mori poterant, qui cor meum pari cuspide vulnerarent. Sed quid agimus? Non est praeter patientiam remedii genus ullum. Id tibi suadere superfluum, non solum quia res haec a maximis viris et a me pusillo saepe tractata est, sed quia 70 quidquid etiam hac in parte dici solet aut dici potest, tibi notissimum sit oportet, prudentissimo atque observantissimo casuum humanorum. Illa omnium consolatio summa est, quod ambo rectum iter ad superos tenuisse credendi sunt, et amborum vita fuit, ea insignis matronae fides, pietas, castitas, ea viri 75 illustris excellentia. Cessat igitur altera dolendi causa. Si quid enim mali accidit, nobis accidit, idque ipsum magnitudine animi superandum est, ne nimis nos amare, nimis molliter ferre nostra incommoda videamur. Vale. Patavi, pridie Nonas Ianuarii, algentibus digitis et fervente bello. [1373.]

Francisco Bruno. Sen. xiii. 12.

OMISSIS familiarium rerum curis, quibus ingentem epistolam compegiſti, quas nec stilo dignas censeo et de quibus agendi locus alter dabitur, ad id venio quod me premit, quodque tuis in litteris ridens legi. Philippus Sabinensis, virorum 5 optimus et Ecclesiae mundoque utilis, mihi vero superindulgens pater, in legationem Italicaſ profecturus et in crastinum moturus, sero Papam adiit, et accepta licentia post omnia, ut latius nomen meum memoriae eius imprimeret, me sibi recom mendavit instantissime rem serena fronte et verbis lenibus 10 approbanti; urgente demum hora, ut paucis multa comprehenderet, ‘habeto,’ inquit, ‘oro, pater sanctissime, commendatum hunc hominem, et propter me, qui ad eum supra quam dici

possit afficiar, et propter se ipsum magis. Crede enim mihi, vere phoenix unicus est in terris.' Hoc iterum atque iterum cum dixisset, abiit.

15

Vnus autem e patribus reverendis, qui digito caelum volvunt, illo iam digresso sermonem de me habitum reassumpsit, et laudatorem et laudatum mordaciter irridendo, phoenicis appellationem in diversa distorsit. Et quamvis tu insita modestia utrumque suppresseris, ego tamen et quis fuit et quid dixit, 20 quasi rebus ipsis interfuerim, nosse mihi videor. Potest plane, et natura tumidus et fortuna, quidquid sibi in os amplum venerit de me loqui, olim sibi dilectissimo, nunc inviso, ipse quoque interdum carus mihi, nunc ex merito odiosus. Vtriusque si causam mutationis ex me queris, dicam breviter. Ipse 25 me propter inimicam suam veritatem odit et propter libertatem, quae superbiae semper adversa est; ego illum odi propter multa, sed in primis propter amicum sibi mendacium, cuius, ut uno verbo expediam, ipse quoque cum diabolo pater est.

30

Et de illo quidem satis, immo nimis est dictum, quamquam et multo plura si libeat possim, et nullum timeam, nisi quem diligo. Ipsum vero non diligam, ut audisti. Et o utinam ipse et ego simul aequo in statu rerum temporalium, non ego magnus ut ipse, hoc enim novit Christus nolle, sed ipse 35 parvus ut ego, alicubi iustis sub iudicibus viveremus! Cito enim, nisi fallor augurio, non ego quidem phoenix, quod amore lynceos alioquin oculos praestringente laudator meus asseruit, verum ipse bubo esset aut noctua; haec stomacho indignante profuderim. Credunt enim propter male partas et male 40 perdendas opes sibi omnia licere; sed est, ut ubi copia, sic inopia dat animos ad loquendum, multisque silentium indixere divitiae . . . [He discusses the question whether he may expect any advancement from the Pope.] Vale. [1372.]

*François
Lavenu de Brion*

Ludovico Marsilio suo. Sen. xv. 7.

MERITA de te mea, amice, quae multa commemoras, pace tua dixerim, nulla sunt penitus, nisi quod ab ipsa tua pueritia te dilexi, nescio quid iam tunc praesagiens, et nunc magis ac magis in dies diligo, cito iam qualem in te cupio virum sperans. Libellum tibi quem poscis libens dono, donaremque libentius, si esset qualis erat, dum eum adolescenti mihi donavit Dionysius ille tui ordinis, sacrarum professor egregius litterarum et undique vir insignis, indulgentissimus pater meus; sed ego eum et natura forsitan et aetate tunc vagus, quod mihi periucundus et materia et auctore et parvitate sua pugillaris esset atque ad ferendum habilis, saepe per omnem ferme Italiam ac Gallias Germaniamque circumtuli, ita ut iam prope manus mea et liber unum esse viderentur, sic inseparabiles visu perpetuo facti erant. Dicam rem mirabilem, ut sileam lapsus fluminum ac terrarum, semel mecum ad Nicaeam Vari sub fluctibus maris fuit, actumque erat haud dubie, nisi utrumque praesenti periculo Christus eripuisset. Sic eundo et redeundo mecum senuit, ita ut iam senex a sene sine ingenti difficultate legi nequeat, et nunc tandem ab Augustini domo digressus ad eamdem redit, nunc quoque tecum peregrinaturus, ut reor. Accipe eum qualis est et boni consule, atque incipe meis in rebus iure tuo uti ac praefationibus supervacuis abstinere, et quidquid tibi placuerit, non postulare sed sumere. Vale felix et pro me, quotiens ad mensam eius accesseris, Christum ora. Arquade, vii. Idus Ianuarias [1374 ?].

Lucae de Penna. Sen. xvi. 1.

DABIS veniam, insignis vir, stilo, ut quibusdam fortasse videbitur, irreverenti, sed Deum testor minime insolenti; stilo enim alio uti nescio; singulariter te alloquor, cum sis unus, et in hoc naturam sequor ac maiorum morem, non blanditias modernorum; mirorque quid tu talis vir me aliter

alloqueris, cum et ego unus sum, utinamque integer nec in multa vitiorum frustra disceptus. Denique sic Romanum imperatorem regesque alios, sic Romanos quoque pontifices alloqui soleo; si aliter facerem, viderer mihi mentiri. Quidni autem, cum Iesum Christum ipsum regem regum et dominum dominantium, ut minores alios longe licet maximos sileam, non aliter alloquamus? Vtque iam hic, quod olim cum antiquo feci, novo glorier cum amico, stili huius per Italiam, non auctor quidem, sed instaurator ipse mihi videor, quo cum uti inciperem adolescens, a coetaneis irridebar, qui in hoc ipso certatim me postea sunt secuti.

Nunc incipio. Multos dies in itinere posuit epistola tua haec novissima, siquidem III. Nonas Februarias ad laevam Rhodani ripam data, x. Kalendas Aprilis sero admodum prima face pervenit in hos colles Euganeos, ubi nunc secus intimum sinum maris Adriatici senex et infirmus a iuventute dilectam solitariam vitam dego, amator ruris, osor urbium. Petieras ex me ut de libris Ciceronis, si quos inusitatos et extraneos haberem, tibi quoque cuidam nuper coepito operi subvenirem, tua scilicet impensa, quo iustior petitio tua esset, sperans, credo, nec immerito, me facie licet incognitum honestis precibus haud difficultem fore, seu propter respectum famae tuae, longe etiam redolentis, seu vel maxime propter illius reverentiam, cuius iussu opus illud assumpseras, domini nostri summi pontificis, qui me dignatione eximia et piis verbis ac litteris suum fecit, quamquam omnes qui Christi sunt universalis debito sui sint. Petitioni tamen tuae respondi tunc, non quod volui sed quod potui: Ciceronis libros non me alios habere, quam qui communiter habentur, et quos idem dominus noster habet, vel ut puto etiam pauciores. Vnum addidi, quod et verum fuit, habuisse me alios et amisisse. Cuius rei longa esset historia, quam tamen pro tempore brevem feci. Eas litteras ad te non pervenisse ais, et petis ut replicem quod scripsi, simul ut rem noris, simul ut litteris meis delecteris, quod ut speres tua caritas et nobilis te cogit opinio; parebitur, et

quamquam senectuti occupatae praesertim et invalidae non labor tantum, ut tu dicis, sed supplicium sit scribere, scribam tamen; de delectatione tu videris, de fatigatione pronuntio. Certe si motum animi mei sequar, ego te hodie fatigabo; ita 45 igitur se res habet.

Siquidem ab ipsa pueritia, quando ceteri omnes aut Prospero inhiant aut Aesopo, ego libris Ciceronis incubui, seu naturae instinctu, seu parentis hortatu, qui auctoris illius venerator ingens fuit, facile in altum evasurus, nisi occupatio rei familiaris 50 nobile distraxisset ingenium, et virum patria pulsum onustumque familia curis aliis intendere coegisset. Et illa quidem aetate nihil intelligere poteram, sola me verborum dulcedo quaedam et sonoritas detinebat, ut quidquid aliud vel legerem vel audirem raucum mihi longeque dissonum videretur. Erat 55 hac fateor in re pueri non puerile iudicium, si iudicium dici debet, quod nulla ratione subsisteret, illud mirum nihil intelligentem id sentire, quod tanto post aliquid licet modicum intelligens sentio. Crescebat in dies desiderium meum, et patris admiratio ac pietas aliquamdiu immaturo favit studio. 60 Et ego hac una non segnis in re, cum vix testa effracta aliquam nuclei dulcedinem degustarem, nihil unquam de contingentibus intermisi, paratus sponte meum genium fraudare, quo Ciceronis libros undecumque conquerirerem.

Sic coepito in studio, nullis externis egens stimulis, pro-65 cedebam, donec victrix industriae cupiditas iuris civilis ad studium me detrusit, ut si diis placet addiscerem, quid iuris de commodato et mutuo, de testamentis et codicillis, de prae-diis rusticis et urbanis, et oblisicerer Ciceronem vitae leges saluberrimas describentem. In eo studio septennium totum 70 perdidi, dicam verius quam exegi. Vtque rem paene ridiculam flebilemque audias, factum est aliquando ut, nescio quo sed minime generoso consilio, omnes quos habere potueram Ciceronis et simul aliquot poetarum libri, lucrativo velut studio adversi, latibulis ubi ego, quod mox accidit, metuens 75 illos abdideram, me spectante eruti, quasi haeresium libri,

flammis exurerentur ; quo spectaculo non aliter ingemui quam si ipse iisdem flammis iniicerer. Proinde pater, nam memini, me tam maestum contemplatus subito duos libros, paene iam incendio adustos eripuit, et Virgilium dextra tenens, laeva *Rheticam* Ciceronis, utrumque flenti mihi subridens ipse 80 porrexit. ‘Et habe tibi hunc,’ inquit, ‘pro solatio quodam raro animi, hunc pro adminiculo civilis studii.’ His tam paucis sed tam magnis comitibus animum solatus, lacrimas pressi. Dehinc circa primos annos adolescentiae, mei iuris effectus, libris legalibus abdicatis, ad solita remeavi, eo ferventior quo 85 interrupta delectatio acrior redit.

Post non multum tempus, circa vigesimum secundum aetatis annum, dominorum Columnensium nobilissimae sed heu nimium caducae familiae, quae mihi venerabilis semper et flenda erit, familiaritatem domesticam nactus eram, sub qua 90 paene totum adolescentiae meae tempus et virides annos egi, cuius mihi auctor fuit vir incomparabilis, Iacobus de Columna, tunc Lomberiensis episcopus, cuius mihi recordatio dulcis pariter et amara est. Non fuit mundus eo dignus, Christus illum sibi voluit, et cito terris ablatum caelo reddidit. Et 95 quoniam senex senem fatigavit, ut scriberet, senex senem refatigabit ut legat. Ille igitur me diu ante metas pueritiae vix egressum Bononiae viderat, et, ut ipse post dicebat, meo delectatus erat aspectu, ignarus adhuc quis aut unde essem, nisi quod scholarem scholaris ex habitu cognoverat. In eo 100 enim studio quod ego deserui, ut audisti, ipse perseveravit, donec honorificum ad terminum, mox ad episcopium non annis debitum sed meritis est provectus. Quam ob causam, cum ad eam, quae Romana dicitur, curiam profectus, ibi me infasto illi carceri ab origine destinatum revidisset, iam mala 105 prima lanugine vestientem, conditionibus meis exactius exploratis, ad suam tandem praesentiam evocavit... [He praises Giacomo's character.] Et erat tunc forte ad episcopatum suum in Vasconiam iturus, ac nescius reor adhuc, quod in me iuris haberet, quo iubere poterat, oravit, ut sibi in eo itinere comes 110

esse vellem, seu fide, quam tamen nosse nondum poterat, sed
 in fronte eam lynceus vir legebat, seu ingenio seu vulgari
 delectatus stilo meo, in quo tunc iuveniliter multus eram;
 parui atque ivi. O tempus rabidum, fugax vita, quartus et
 115 quadragesimus annus est! Nunquam puto laetior aetas fuit.
 Reversus inde, me in familiaritatem perduxit reverendissimi
 fratris sui Iohannis, supra morem Cardinalium viri optimi atque
 innocentissimi, fratrumque omnium, ad extremum magnanimi
 senis patris Stephani, de quo ut de Carthagine ait Crispus:
 120 'Silere melius puto quam parum dicere' . . . [He laments
Giacomo's early death.]

Nunc ad Ciceronem redeo. Itaque iam aliquali fama ingenii,
 falsa licet, sed multo maxime favore cognitus talium domi-
 norum, varias amicitias per diversa contraxeram, quod essem
 125 in loco ad quem fieret ex omni regione concursus. Abeuntibus
 d'ēnum amicis, et ut fit potentibus, numquid e patria sua
 vellem, respondebam nihil praeter libros Ciceronis ante alios;
 dabam memorialia, scriptoque et verbis instabam. Et quotiens
 putas preces, quotiens pecuniam misi, non per Italiam modo,
 130 ubi eram notior, sed per Gallias atque Germaniam et usque
 ad Hispanias atque Britanniam; dicam quod mireris, et in
 Graeciam misi, et unde Ciceronem exspectabam, habui
 Homerum, quique Graecus ad me venit, mea ope et impensa
 factus est Latinus, et nunc inter Latinos volens mecum habitat.
 135 Et quid tibi vis? 'Labor omnia vincit improbus' inquit Maro.
 Multo studio multaque cura, multa undique parva volumina
 recollegi, sed saepe multiplicata; eorum vero, quae maxime
 optabam raro aliquid, ita ut quod humanis in rebus crebro
 accidit, multa mihi deforent multa superfluerent. Nondum
 140 sane sanctorum libros attigeram et errore caecus et typo
 tumidus aetatis. Nil mihi fere nisi unus Cicero sapiebat,
 praecipue ex quo Quintiliani *Institutiones Oratorias* legi, quarum
 quodam loco haec plane sententia sua est; nam et liber
 abest et verba non teneo. 'Bene de se speret, quisquis erit,
 145 cui valde Cicero placebit.' Et hoc in eo libro dicit, in quo de

eloquentia deque oratoribus agens libero iudicio summi viri Annaei Senecae, tunc placentem omnibus, stilum damnat. Quo dicto magis ac magis in sententia tanto a stipulatore firmatus, si quando visendi desiderio, quod tunc saepe faciebam, in longinqua proficiserer, visis forte eminus monasteriis 150 veteribus, divertebam illico. ‘Et quid scimus, inquam, an hic aliquid eorum sit quae cupio?’ Circa quintum et vigesimum vitae annum, inter Belgas Helvetiosque festinans, cum Leodium pervenissem, audito quod esset ibi bona copia librorum, substi, comitesque detinui, donec unam Ciceronis orationem 155 manu amici, alteram mea manu scripsi, quam postea per Italiam effudi; et, ut rideas, in tam bona civitate barbarica atramenti aliquid et id croco simillimum reperire magnus labor fuit.

Et de libris quidem *Reipublicae* iam desperans, librum *de 160 Consolatione* quaesivi anxie, nec inveni; quaesivi et librum *de Laude Philosophiae*, quod et ipse libri titulus excitabat, et in libris Augustini, quos iam legere cooperam, librum illum ad vitae mutationem et ad studium veri multum sibi profuisse compereram; sic undique dignus videbatur; qui diligentissime 165 quaereretur. Enimvero hic negotii nihil esse credidi, statim enim adfuit non liber, sed falsa libri ipsius inscriptio, quod sciens narro, ne quando tibi, quod impossibile arbitror, idem qui mihi illusit error obreperet. Legebam, neque aliquid de eo quod titulus pollicebatur inveniebam, stupebamque, et 170 tarditati meae alienum errorem imputabam. Demum cum legendο, cuius insatiabilem me natura facit, in libros Augustini *de Trinitate*, divinum opus, incisissem, inveni allegatum ibi librum, non quidem quem habebam, sed quem habere credebam; et aliquid ibi de eo libro positum, quo nihil est dulcius, 175 dirigui, et oblationem ratus experientiae, die quodam, fervidus librum legi totum intentissime. Eius certe quod apud Augustinum erat penitus nihil inveni. Puduit errasse tam diu, et remansi certus librum illum non esse *de Laude Philosophiae*, sed quisnam esset incertus, esse autem Ciceronis stilus indicio 180

erat. Fuit enim caelestis viri illius eloquentia imitabilis nulli. Post haec vero cum ultimo Neapoli venissem, Barbatus meus Sulmonensis, amicus optimus et tibi forsan saltem nomine cognitus, voti mei conscient, parvum Ciceronis librum mihi 185 donavit; cuius in fine principium solum erat *libri Academicorum*. Quod ego perlegens, conferensque cum illis qui inscribuntur *de Laude Philosophiae*, luce clarius deprehendi illos esse duos; tot enim sunt, tertium et quartum, vel secundum et tertium *Academicorum*, subtile opus magis quam necessarium 190 aut utile. Sic longaevo errore liberatus sum.

Obtulerat casus mihi iam antea venerabilem quemdam senem, cuius nomen, ut reor, adhuc in curia notum est, Raymundum Superantium, ad quem ante hos quadraginta annos scripta iuvenilis mea quaedam nunc etiam exstat epistola. Ille copiosissimus librorum fuit, et ut iurisconsultus, in qua facultate pollebat, alia quidem cuncta despiciens, praeter unum Titum Livium, quo mirum in modum delectabatur, sed historiae insuetum, magnum licet, ingenium haerebat. In eo studio me sibi utilem, ut dicebat, expertus tanto amore complexus est, ut 200 patrem potius crederes quam amicum. Ille mihi et commodando libros et donando supra communem modum facilis fuit. Ab hoc habui et Varronis et Ciceronis aliqua. Cuius unum volumen de communibus fuit, sed inter ipsa communia libri *de Oratore* ac *de Legibus* imperfecti, ut fere semper inveniuntur, et praeter 205 terea singulares libri duo, de Gloria. Quibus visis me ditissimum extimavi. Longum est exsequi, quos et qualiter et unde quaeasierim, praeter unum volumen elegantissimum, cui par aliud invenire difficile, paternas inter res inventum, quod in deliciis pater habuerat, quodque non ideo evasit, quia illud 210 mihi executores testamentarii salvum vellent, sed quia, circa praedam pretiosioris ut putabant patrimonii occupati, ceu vile neglexerant. In his omnibus novi nihil ut dixi praeter illos *de Gloria* libros duos et aliquot orationes aut epistolas. Sed ego, ne fortunae frustra obniterer, ut viator sitiens inopi rivulo, 215 quibus poteram communibus me solabar. At nonne ego sat

mirus sum, mirandique materiam tibi do, qui rogatus historiam unam narro alteram? Postulas ut qualiter libros amiserim dicam, ego qualiter quaesierim dico, ut cognito quantus fuerit quaerendi labor, quantus fuit perdendi dolor intelligas.

Nunc quod petis expediam. Fuit mihi paene ab infantia ²²⁰ magister, qui me primas litteras doceret; sub hoc postea grammaticam et rhetorica*m* audivi, utriusque enim professor ac praceptor fuit, cui parem ego non novi, quod ad theoreticam loquor, quod ad practicam attinet, non ita prorsus Horatianae cotis in morem, quae ferrum novit acuere, non secare. Hic ²²⁵ sexaginta totos, ut fama erat, annos scholas rexit, et quot scholares tanto in tempore vir famosus habuerit cogitari facilius quam dici potest. In quibus magni viri multi et scientia et statu, et legum scilicet professores, et sacrarum magistri litterarum et praeterea episcopi et abbates, ad ultimum car- ²³⁰ dinalis unus, cui ego puer patris intuitu carus fui, non vir statu maior ac fortuna, cum esset Ostiensis episcopus, quam prudentia et litteris . . . [P. says he was *Convenevole's favourite pupil.*] Hunc ²³⁵ tales homunculum pater meus, dum vixit, liberaliter satis adiuvit; invaserat enim eum pauperies ac senectus, comites importunae et difficiles. Post obitum patris omnem in me spem posuerat. Ego autem impar licet, me illi tamen et fide et obsequio obligatum sentiens, aderam omni ope, qua poteram, ut deficiente pecunia, quod crebrum erat, egestatem suam apud amicos, nunc fideiussione, nunc precibus apud ²⁴⁰ faeneratorem vero pignoribus [*sublevaveram*]. Millies in hunc usum libros et res alias asportavit et retulit, donec fidem expulit paupertas. Graviore siquidem pressus inopia, duo illa Ciceronis volumina, unum patris, alterum amici, librosque alios me tradente abstulit, praetendens necessarios sibi in opere suo ²⁴⁵ quodam; quotidie enim libros inchoabat mirabilium inscriptionum, et prooemio consummato, quod in libro primum, in inventione ultimum, esse solet, ad opus aliud phantasiam instabilem transferebat. Quid te ad vesperam verbis traho? Cum inciperet suspecta esse dilatio, quod non egestati, sed ²⁵⁰

studio concessi libri erant, coepi altius exquirere quid de eis actum esset, et ut pigneratos comperi, penes quem essent indicari mihi petii, ut facultas fieret luendi eos. Ille, et pudoris plenus et lacrimarum, negavit se id esse facturum, quod turpe 255 nimis esset sibi, si quod ipse deberet alter faceret, exspectarem paululum, quod suum erat cito se facturum. Obtuli in hanc rem pecuniae quantum vellet, et hoc respuit, orans ne sibi hanc infamiam inurerem. Ego, etsi nihil dicto fiderem, nolens tamen quem amabam contristare, subticui. Ipse interim 260 paupertate pulsus in Tusciā ivit, unde sibi erat origo; me tunc ad fontem Sorgiae mea Transalpina in solitudine latitante, ut solebam, nec prius eum abiisse quam obiisse cognovi, oratus a civibus suis, qui ad sepulturam illum sero quidem laureatum tulerant, ut memoriae eius honorificum aliquod epigramma 265 componerem. Nec deinceps ulla unquam diligentia vel minimum amissi Ciceronis indicium, nam de aliis non curassem, invenire quivi. Ita simul et libros perdidī et magistrum.

Habes, en, historiam quam petisti, longiusculam fateor, sed dulce mihi fuit et veterum recordari et novo cum amico diu 270 colloqui, quem ignotum et sui ipsius epistolae commendant, et testimonium viri illius, cui omnia crederem. Sentio autem nunc quam honestum esset propter additiones et lituras hanc rescribere, sed occupationi ac fatigationi meae tua parcat urbanitas, et quaecumque oculos laedunt, ceu totidem signa familiaritatis 275 aspiciat. Vale. Arquade, v. Kalendas Maias [1374].

Ianino [Donino] Grammatico Placentino. Sen. xvi. 7.

NOLI, amice, noli, obsecro, in arrepto hoc praecipue tam specioso calle lentescere, eam quam praetendis ob causam, quod virtus scilicet honestaeque artes nostra aetate esse quidem sine honore videantur . . . [*The rarity of virtue in these days causes it to be all the more valued. He will venture to give instances from his own life of the honour paid to learning.*] Nonne 5 igitur audivisti, ut ego ipse, qui si, non dicam cum antiquis, sed

cum coetaneis meis conferar, nihil sim, dum in Galliis agerem adinodum adolescens, nobiles quosdam et ingeniosos viros tam de ulteriore Gallia quam de Italia venientes ad me vidi ad-¹⁰ mirans, nullo alio negotio tractos quam ut me viderent mecumque colloquerentur? Quorum unus fuit honorifice nominandus, Petrus Pictaviensis, religione et litteris vir insignis; atque ad admirationis augmentum, fuere aliqui qui praemissis magnificis muneribus sequerentur, quasi liberalitate iter sternerent et ¹⁵ ianuas aperirent. Non est Avinio Rhodani, ubi tunc eram, Romae comparabilis ulla in re, sed et Romanus Pontifex et multa Romanae civitatis insignia illic erant, suntque hodie, frustra nuper per Vrbanum V. parumper avecta; erant quae locum toto facerent orbe famosum; et tamen non se aliud ²⁰ quam me unum quaerere et verbo et rebus ipsi fatebantur, usque adeo, ut si abessem, forte confestim ad fontem Sorgiae, ubi maxime aestatem agere solebam, omnibus neglectis accederent.

Si horum tu vel inscius essem vel incredulus, tui certe ipsius ²⁵ oblitus esse non potes, qui me diu postea in Italiam iam reversum, non quidem tanto, magno tamen viae tractu, nunquam antea mihi visus aut cognitus adiisti, unde haec amicitia orta est; quae nisi durasset, immo et crevisset in tempore, nequam tam familiariter tibi ista nunc scriberem. Quot deinde ³⁰ usque huc ad me ex illa praesertim studiorum amicissima venerunt Parthenope iuvenes maxime, qui me ibi temporibus summi regis vidisse non poterant, propter nostram familiaritatem tibi esse nequit occultum.

Sicut nec ille Perusini vatis adventus, ita dico, si litterarum ³⁵ amor ingens et ardentissimus spiritus vatem facit, qui senex caecus ad Pontremulum oppidum scholas grammaticae regebat. Audito autem, quod ad ipsum de quo loquor regem Neapolim perrexissem, ut qui, iuvenili fastu tumidus, cuiuscumque examen alterius eo tempore dedignerat, qui nunc nullum recusarem, ⁴⁰ unici filii adolescentis humero innixus et ipse mox Neapolim magno mei desiderio tractus venit. Cognitaque viae causa,

quam ipse publice praedicabat, rex eum videre voluit; erat enim monstri instar viri facies fervorque illa gelida in aetate.

45 Contemplatus aliquamdiu vultum hominis aereae statuae simillimum, audiensque quid peteret, 'si vis' inquit 'quem quaeris in Italia reperire, festina; alioquin quaerendus tibi erit in Gallia; sic ab eo nuper hinc digrediente cognovimus'. 'Ego vero' inquit homuncio 'nisi me vita destituat, ipsum, 50 si oporteat, apud Indos quaeram.' Miratus rex et miseratus sibi viaticum dari iussit; inde summo cum labore sua relegens vestigia, nequidquam Romae prius me quaeſito, Pontremulum rediit. Ibi audiens quod adhuc Parmae essem, hieme etiam nunc adversa, nivosum transit Apenninum, et praemissis ad me haud 55 ineptis aliquot versiculis, ipse mox affuit... [P. compares him with Hannibal.] Et quotiens putas (sed quid loquor? Praesens rebus intereras), quotiens filii et discipuli alterius, quo pro filio et quibus ambobus pro vehiculo utebatur, manibus sublatis meum caput osculatus est, quo illa cogitassem, quotiens hanc dexteram, 60 qua illa scripsisset, quibus se diceret vehementissime delectatum? Et quam pauca tunc scripseram, cum vel hodie pauca sint, transeo. Longa est historia. Semper ad hunc modum triduo mecum fuit et totam civitatem miraculo sui implevit, cognito quis esset et quid ageret. Illud non silebo, quod cum die 65 quodam in excessu mentis multa diceret, inter cetera: 'vide' ait 'ne taedio tibi sim, si cupidius te fruor, ad quem videndum tanto cum labore peregrinus advenio.' Ad quod verbum cum risum astantibus excitasset, et risum et ridendi causam intellexit, excitatiorque subiunxit in me versus: 'Te non alium 70 testem volo, quod ego exoculatus melius certiusque te video quam quisquam horum oculos habentium.' Quo dicto cunctos in silentium ac stuporem vertit. Plus non dico nisi quod urbis illius dominus, mei amantissimus, quo nescio an sua aetate ullus in terris liberalior vixerit, caeci sermone atque animo delectatus, 75 abeuntem multo honore ac magnificentia prosecutus est... [He relates this story merely to encourage Donnino.] Vale. Patavi, iv. Idus Maias [1373].

Iohanni Boccatio. Sen. xvii. 3.

LIBRVM tuum, quem nostro materno eloquio ut opinor olim
Liuenis edidisti, nescio quidem unde vel qualiter ad me
delatum vidi. Nam si dicam, legi, mentiar. Siquidem ipse
magnus valde, ut ad vulgus, et soluta scriptus oratione, et
occupatio mea maior et tempus angustum erat, idque ipsum, 5
ut nosti, bellicis undique motibus inquietum; a quibus, etsi
animo procul absim, nequeo tamen fluctuante republica non
moveri. Quid ergo? Excucurri eum et festini viatoris in
morem, hinc atque hinc circumspiciens nec subsistens. Anim-
advertisi alicubi librum ipsum canum dentibus lacescitum, tuo 10
tamen baculo egregie tuaque voce defensum. Nec miratus
sum. Nam et vires ingenii tui novi, et scio expertus esse
hominum genus et insolens et ignavum, qui, quidquid ipsi vel
nolunt, vel nesciunt, vel non possunt, in aliis reprehendunt, ad
hoc unum docti et arguti, sed elingues ad reliqua. Delectatus 15
sum in ipso transitu, et si quid lasciviae liberioris occurreret,
excusabat aetas tunc tua, dum id scribebas, stilus, idioma, ipsa
quoque rerum levitas et eorum qui lecturi talia videbantur.
Refert enim largiter quibus scribas, morumque varietate stili
varietas excusat. 20

Inter multa sane iocosa et levia, quaedam pia et gravia de-
prehendi, de quibus tamen diffinitive, quid iudicem, non habeo,
ut qui nusquam totus inhaeserim. At quod vere accedit eo
more currentibus, curiosius aliquanto quam cetera libri prin-
cipium finemque perspexi; quorum in altero patriae nostrae 25
statum illius scilicet pestilentissimi temporis, quod prae
omnibus nostra aetas lugubre ac miserum mundo vidit, meo
quidem iudicio et narrasti proprie et magnifice deplorasti. In
altero autem historiam ultimam et multis praecedentium longe
dissimilem posuisti, quae ita mihi placuit meque detinuit, ut 30
inter tot curas, quae paene mei ipsius immorem me fecere,
illam memoriae mandare voluerim, ut et ipse eam animo,

quotiens vellem, non sine voluptate repeterem, et amicis ut fit confabulantibus renarrarem, si quando tale aliquid incidisset.

35 Quod cum brevi postmodum fecisset gratamque audientibus cognovissem, subito talis interloquendum [*sic*] cogitatio supervenit, fieri posse ut nostri etiam sermonis ignaros tam dulcis historia delectaret, cum et mihi semper ante multos annos audita placuisse, et tibi usque adeo placuisse perpenderem, ut 40 vulgari eam stilo tuo censueris non indignam et fine operis, ubi rhetorum disciplina validiora quaelibet collocari iubet. Itaque die quodam inter varios cogitatus animum more solito discepentes, et illis et mihi, ut sic dixerim, iratus, vale omnibus ad tempus dicto, calatum arripiens historiam ipsam tuam 45 scribere sum aggressus, te haud dubie gavisurum sperans ultro rerum interpretem me tuarum fore. Quod non facile alteri cuicumque praestiterim, egit me tui amor et historiae.

Ita tamen, ne Horatianum illud poeticae artis obliviscerer : ‘Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres’, historiam 50 tuam meis verbis explicui, immo alicubi aut paucis in ipsa narratione mutatis verbis aut additis, quod te non ferente modo sed favente fieri credidi ; quae licet a multis et laudata et expetita fuerit, ego rem tuam tibi, non alteri, dedicandam censui. Quam quidem an mutata veste deformaverim an 55 fortassis ornaverim, tu iudica. Illinc enim orta, illuc redit, notus iudex, nota domus, notum iter, ut unum [*sic*] et tu noris et quisquis haec leget, tibi non mihi tuarum rationem rerum esse reddendam. Quisquis ex me quaeret, an haec vera sint, hoc est an historiam scripserim an fabulam, respondebo illud 60 Crispi : ‘fides penes auctorem, meum scilicet Ioannem, fit.’ Haec praefatus incipio. [1373.]

NOTES

Fam. i. 4 [9 August 1333]

PAGE 1. Giovanni Colonna was the second son of Stefano, the head of the house of Colonna at this time. Petrarch was on a footing of intimate friendship with several members of this family. There are sixteen letters addressed to Giovanni, as well as several metrical epistles and the sonnet, *Rime cclxvi.* In *Sen. xvi.* 1 Petrarch gives an account of his friendship with the younger brother Giacomo; while both were students at the University of Bologna they had been attracted to one another, but it was not until after Petrarch's return to Avignon in April 1326 that they became friends. (F. Lo Parco has tried to show in *Errori... nella biogr. del P.*, 'Giorn. stor. d. lett. ital.', xlviii, 1906, pp. 37-69, that Petrarch returned to Avignon at the end of 1325, and as a result puts back by a year the date of a number of the earlier letters. But the case against the traditional date, 1326, is not proved. See also P. de Nolhac, *P. à Bologne au temps d'Azzo Visconti*, in 'P. e la Lombardia', Milan, 1904, pp. 87-93.) Giacomo, now Bishop of Lombez, took Petrarch with him to his see in Gascony (on this journey see F. Lo Parco, *Il P. e Giacomo Colonna a Tolosa*, in 'Mem. d. R. Accad. di archeol. . . . in Napoli', 1911, pt. 2, p. 229 seq.), and on their return to Avignon in 1330 introduced him to his brother the Cardinal. From 1330-7 Petrarch was living in the Cardinal's house at Avignon, and was probably to some extent dependent on him. It was not until 1335 that he received his first Church preferment, a canonry at Lombez. The Cardinal probably paid the expenses of the journey which this letter describes, and we shall hear of Petrarch's securing his consent for his visit to Rome in 1337. Giovanni was created a Cardinal by Pope John XXII in 1327 before he had reached the age of thirty. For other details of Petrarch's relations with the family see *Fam. iv.* 6, v. 3, and viii. 1.

Line 1. *Aquae*, or Aquisgrana, Aix-la-Chapelle.

2. *Baiano*: like the waters in the bay of Baiae.

20-21. Cf. Cic. *Tusc.* v. 40.

24. Juvenal, *Sat.* xv. 111.

27. *Nasones plurimos*: taken to refer to the manuscripts Petrarch found there; many copies of Ovid, but none of Virgil.

28. See Ovid, *Met.* xv. 871-9.

35-6. Virg. *Aen.* vi. 318.

53-8. The name Agrippina was given to the colony (Cologne) in honour of Agrippina, the younger, daughter of Germanicus, and not by Agrippa. Also the daughter of Augustus whom Agrippa married was Julia.

59. *sacrarum virginum*: referring to the martyrdom of St. Ursula and the 11,000 virgins at Cologne. Their skulls are still exhibited there.

66. The present cathedral of Cologne was begun in 1248.

69. *tribus saltibus*: the bones of the *magi* are said to have been brought to Constantinople by Helena, the mother of Constantine the Great; from there they were moved to Milan, and finally sent to Cologne by Frederick Barbarossa.

75. Virg. *Ecl.* x. 47.

76. The Ardennes. In this year 1333 the Count of Flanders and the Count of Brabant were at war over the town of Malines. Presumably this is the war Petrarch is referring to.

91. *fratrem tuum*: his brother Giacomo had agreed to take Petrarch with him to Rome. On the 22nd May of this year (1333) Stefanuccio, the son of Sciarra Colonna, had defeated the Orsini near S. Cesario. The feud between the two houses was embittered by this victory, and for this reason Giacomo had hastened to Rome to the assistance of his family.

The sonnet 'Vince Annibal', *Rime* ciii, was written on the occasion of this victory.

Fam. ii. 9 [21 December 1336]

PAGE 4. To Giacomo Colonna, Bishop of Lombez, one of the seven sons of Stefano Colonna. The Pope, John XXII, had excommunicated the Emperor Louis, the Bavarian, and while the latter was in Rome in 1328, Giacomo Colonna read the bull of excommunication aloud and posted it up in the city. As a reward for this act he was elected Bishop of Lombez in the following year. Cf. also the letter to Giovanni Colonna on the death of his brother, *Fam.* iv. 12. Giacomo had left Avignon suddenly in 1333 (cf. note, l. 91, in the previous letter), while Petrarch was away on his journey to Paris and Germany; therefore Petrarch says he had not seen him for four years. (Petrarch uses the Roman inclusive method of reckoning.)

This is one of the few letters containing a reference to Laura. We know from the prefatory letter to the *Epist.*, *Fam.*, that Petrarch burnt many of his letters when preparing them for publication in 1349 (Fracassetti dates the prefatory letter 1359, but Mascetta-Caracci in his edition of the *Canzoniere*, Lanciano, 1895, p. 70 seq., has shown that the date was 1349), and he may have intentionally destroyed those in which Laura's name occurred. At any rate, we have very few letters written from Avignon between 1326 and 1337. Modern criticism seems to agree that she was an historical person. For an account of an entry in Petrarch's handwriting in his copy of Virgil relating to her death see P. de Nolhac, *Pétrarque et l'humanisme*, Paris, 1907, tom. i, p. 140, &c., and an article by Monsignor A. Ratti (Pope Pius XI) in *Petrarca e la Lombardia*, Milan, 1904, pp. 219-42.

Line 22-3. *simulatus... Augustinus*: Giacomo had apparently questioned the sincerity of Petrarch's devotion to St. Augustine, and the reality of his love for Laura. Cf. C. Segrè, *Studi Petrarcheschi*, Florence, 1903, pp. 103, 104.

43. *Virg. Geo.* i. 499.

51. Scipio Africanus had an estate at Litternum. See Seneca, *Epist.* 86. The ' Hispano homini ' is, of course, Seneca.

